



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

324

G

106

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK



0620 8554

l. o. d. Recensio, 1819. N. 7. Mac. 242.
Günstig bemerkt, Heidelb. Jahrbücher. 1822 (April - Heft.) S. 323.

432926.

HERMANNI DE RANITZ,
GRONINGANI,
IURIS CANDIDATI,
DE IURE NATURAE ET ETHICA
COMMENTATIO,

324
9106

A D
Q U A E S T I O N E M,
AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET
LITERARUM HUMANIORUM,
IN ACADEMIA PUBLICA, QVAE GRONINGAE EST,
ANNO MDCCCXVI PROPOSITAM:

„**QUANDOQUIDEM IN PRAESENTI STUDII PHILOSOPHICI**
„**CONDITIONE, HAUD PAUCOS STATUERE VIDEMUS, DU-**
„**AS ESSE DISCIPLINAS, QUARUM UTRIUSQUE HOMO EST**
„**SUBIECTUM, ALIETAM IUS NATURAE, ETHICAM ALTERAM,**
„**UTRAMQUE PECULIARI PROPRIETATE DISTINCTAM;**
„**QUAERITUR, NUM IUS NATURAE ET ETHICA VERE**
„**DISCRETA SINT INTER SE, ET FONTE IDEARUM, EX QUI-**
„**BUS UTRAQUE HARUM DISCIPLINARUM EXPROMATUR,**
„**ET OBIECTIS, QVAE UTRAQUE CONSIDERET, ET FINE,**
„**AD QUEM UTRAQUE TENDAT.**”

CUI PRAEMIUM ADIUDICATUM EST.



GRONINGAE, APUD
I. O O M K E N S,

Academiae Typographum

1818.



P R A E F A T I O.



Ad quaestionem, ab Ordine Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum in Academia Groningana anno 1816 propositam, sequenti commentatione respondere conatus fui. Videant rerum aequi iudices, quonam successu propositum attingere mihi licuerit.

Ipsam opusculum in III Capita distinxit, quorum primum de Ethices fonte, obiecto et fine agit; de Iuris naturae fonte, obiecto et fine alterum; ut tandem in tertio, instituta comparatione, videre possimus de utriusque disciplinae inter se differentia.

Praemisi Introductionem Historicam, qua demonstrare volui, Veteres ius et officium commiscuisse semper; Recentiores, inde a GROTII temporibus;

haec separavisse quidem; sed, non observato iuris principio a GROTIO proposito, in faciendâ distinctione inter ius et officium sibi non constetisse, ad tempora usque viri summi KANTII, qui, in hac re aliam secutus viam, tandem firmo fundamento differentiam inter utramque disciplinam constituisse mihi videtur. Licet equidem sciam hanc introductionem historicam in proposita quaestione non postulata esse, eam tamen non plane supervacua, saltem ab ipsius quaestionis argumento non alienam duxi.

INTRODUCTIO HISTORICA.



§ I.

Ex eo, quo Philosophiam primum excoluerunt homines; tempore, multas quoque, easque diversissimas de bono ac iusto, de virtute ac iustitia protulerunt sententias viri docti. Alii aliquid esse natura bonum et iustum docuerunt; alii nihil esse iustum iniustumve natura putarunt; omnes vero iusti notiones ex vita sociali, ex educatione derivarunt. Quantae etiam disensiones, quae opinionum diversitas prognata inter eos, qui virtutis et iustitiae existentiam ex ipsa hominis natura hauserunt; quorum quidem alii in felicitate, alii in perfectione finem posuerunt, ad quem homini sit enitendum, et ex quo vivendi rationem ac actionum leges deduxerunt. Veteres quidem Philosophi, uti et ex recentioribus illi, qui ante HUGONIS GROTIJ tempora vixerunt, inter iustum et bonum accurate non distinxerunt; ille vero, quem nuncupavi, GROTIUS, homines in hac re accuratiorem monstravit viam, ac sedulo iuris notionem separavit a notionis boni, et doctrinam Iuris a doctrina Ethicae. Actiones humanas semper iusti legibus debere convenire docuit, ita quidem, ut, nisi iis morem gerat homo, aliis hominibus, sive universis, sive singulis, sit facultas illum cogendi, ne leges iustitiae violet; hinc omnes actiones, quas homo ex iuris lege vel edere vel omittere tenetur, referri ad *obligationes* simpliciter dictas, quas etiam vocant *obligationes perfectas*. Praeter has autem iusti leges, alias esse in humana natura positas, ab illis omnino diversas, docuit GROTIUS, *Morales*

nempē, sive regulas virtutis, quibus homo, vi suae naturae rationalis, impellitur, ut moraliter bene agat, et quibus tenetur obtemperare; ita tamen tenetur, ut, si male agere velit, hoc, quod ad facultatem iuris aliorum attinet, ei integrum sit, neque iudex sit apud homines, cui de actionibus moraliter bonis malisve competat iudicium. Hae actiones morales referuntur ad *officia*, quae alii *obligationes imperfectas* vocant, et *disciplinae ETHICES* praebent materiam, cum *obligationes* ad IURIS NATURAE pertineant *disciplinam*.

§ II.

Non ita antiquitatis Philosophi, quorum apud veterem illum populum, in omni doctrinarum genere facile principem, Graecos, primus nobis occurrit *SOCRATES*, quem Divinum fere posteritas dixit. Ille enim *SOCRATES* „primus,” quod *CICERO* ait, „Philosophiam devocavit e coelo — et coëgit de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere” (1); nam ante hunc solliciti tantum fuerant Philosophi de rerum origine quaerenda ac explananda, cumque de coelestibus cogitarent, et de rebus occultis, et ab ipsa natura involutis, virtutes et vitia, resque bonas et malas nil curabant. (2) Cum illum *SOCRATEM* de iustitia disputantem audimus (3), ea videmus illum commiscere, quae sunt *Ethices*, cum iis, quae ad Ius referuntur: quae quidem omnia, cum intus quasi vocem audiamus, haec nobis facienda iniungentem, alia omittenda praecipientem, a *SOCRATE* ad leges divinitus hominum in animis veluti insculptas referuntur, nulla distinctione facta leges virtutis inter et iuris. Has vero omnes diversas quidem agnovit a legibus civilibus, quarum sunt fundamenta, neque quosdam homines, quendam gentem tantum obligant, sed sunt omnibus hominibus, quarumvis Rerumpublicarum civibus praescriptae.

Nec *PLATO*, *SOCRATIS* discipulus, officia ab obligationibus distinxit. Ille homini ad finem suae naturae esse enitendum docuit, et huncce finem beatissimam esse vitam existimans „sensit tamen *in una virtute* esse positam beatam vitam, „nec tamen beatissimam, nisi adiungerentur et corporis, et cetera, quae supra

(1) *Tuscular. Quaest. Lib. V, Cap. 4.* (2) *CICERO, Academic. I, 4.* (3) *XENOPHON, Memorab. SOCRATIS, LV, 4.*

„dicta sunt, ad virtutis usum idonea. Ex hac descriptione *agendi quoque alii*, quid in vita et officii ipsius initium reperiatur; quod erat in conservatione earum rerum, quas natura praescriberet. Hinc gignebatur fuga deficiendae, voluptatumque contemptio, ex quo laborum dolorumque susceptio multorum, magnum, recti honestique causa, et earum rerum, quae erant congruentes cum descriptione naturae: unde amicitia existeret, et *iustitia* atque *aequitas*.” (4) Videmus ex his, quomodo et PLATO, de quo pluribus hoc loco disputat CICERO, commisceat iustitiae et virtutis regulas, omnemque iustitiam ex virtute, quasi ex fonte, deduxerit; et hanc virtutem suae Reipublicae fundamentum posuit PLATO, ita ut ad beatissimam vitam cives pervenirent. (5)

Uti PLATO, ita nec ARISTOTELES, quem CICERO a PLATONE non differre pronuntiat (6), differentiam iuris obligationes inter ac virtutis officia videtur cognovisse. Ille quidem ius aliquod agnovit naturale, a legibus in civitate scriptis diversum, quod prius appellat τὸ φυσικὸν δίκαιον, cum posteriores efficiant τὸ νομικὸν δίκαιον, vel etiam aliis locis legem communem (νόμον κοινόν) opposuit legi privatae (ἰδίῳ νόμῳ), et legi illi communi vim esse naturalem obligandi dicit; verum ad illam refert praecepta moralia, quibus parentes venerare, amicos beneficiis persequi, iisque, qui bene de nobis meruerint, gratiam referre iubemur (τὸ γονεὺς τιμᾶν, καὶ φίλους εὐποιεῖν, καὶ τοῖς ἐνεργεταῖς χάριν ἀποδίδουαι). Ex quibus omnibus satis aperte patet, eum inter officia moralia ac iuris obligationes non satis distinxisse. (7)

Minime quidem (ut, quae hactenus disputabam, paucis complectar) negamus; Veteres percepisse alia esse officia, ad quae praestanda quis cogi possit, et alia esse libera a coactione; minime quoque negamus, Veteres recte distinxisse inter officia, tanquam partim repetenda ex virtute *iustitiae*, partim ex virtute *temperantiae*, ex quo utroque, veluti fonte praecipuo, omnes virtutes demanare censuerunt: sed illud recte asseverasse nobis videtur, veteres Philosophos et iustitiam et temperantiam praecipue considerasse respectu simpliciter ethico, nec dilucide neque explicitè significasse, quid in officiis, aliis praestandis, dicatur iustum, quid honestum, attributo proprio constanti ac praecipuo.

(4) CICERO, Academic. I, 6. (5) Cl. VAN SWINDEREN, Oratio de PLATONE, optimo in legibus condendis principis magistro. (6) CICERO, Academic. I, 4. (7) Conf. FRIED. BALLMORN, Commentatio de iure naturali Veterum; Göt. 1798, pag. 21, sq. imprimis pag. 26—28.

§ III.

Praecipuos Graecorum Philosophos quosdam iustum ac bonum, iniustum ac malum commiscere vidimus. Quid Romani fecerint, breviter etiam tangere liceat. Et hic ad TULLIUM CICERONEM primum oculos vertamus, necesse est, quippe qui Graecorum philosophiam primus cives suos docuit, atque, uti in multis aliis, ita et in his de patria optime meruit. Ille vero in libris *de Legibus* praesertim, attamen et in *Orationibus*, aliisque operibus, praeclara habet, ex quibus patet, eum ius aliquod agnovisse a natura existens, naturalem habens vim obligandi, quod omnes homines teneat, neque scriptis legibus aut demum constitui, aut mutari, aut abrogari possit, neque aliud sit Athenis, aliud Romae, neque populorum scitis sanciat, sed in mente nostra quasi sit insculptum cum ratione illa, quam a natura accepimus. (8) Illam vero legem non ad actiones hominum vel iustas vel iniustas restrinxit CICERO, sed officia pietatis, virtutis hac lege contineri docuit: „atqui,” inquit, (9) „si „natura confirmatum ius non erit, virtutes omnes tollantur. Ubi enim liberalitas, ubi patriae caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut „referendae gratiae voluntas poterit existere? Nam haec nascuntur ex eo, „quod natura propensi sumus ad diligendos homines, quod fundamentum iuris est.” (10)

(8) Conf. de Legibus I, 10, 15, 16; II, 4. Pro Milone IV, de Republica III, aliaque loca. (9) De Legibus, I, 15. (10) Addatur idem de Inventione; II, 22, in verbis: „naturae „quidem ius est.” etc. et de Officiis, III, 7, in verbis: „iustitia, in qua” etc. De Iure Naturae CICERONIS plurimum invenire licet in eruditissima Disputatione Viri Consult. D'ENGELBRONNER, *de loco Ciceronis qui est DE LEGIBUS*, Amsteraed. Praefide H. C. CRAS, v. Cl. defensa, 1802, imprimis Cap. II. § 2. et Cap. V. § 2. Consentientem habemus virum doctissimum in eo, quod dicimus, CICERONEM non distinxisse inter Ius Naturae et Ethicam; hunc autem recte non distinxisse contendit; ait enim (pag. 90), „alterum vitium, cuius causa isti veterum iurisprudentiam vituperant, illud est, quod „iurisprudentiam naturalem ab Ethica segregandam esse, ne somniasse quidem veteres cernant. Pulcrum „somnia profecto, et multis, medius fidius, multorum vigiliis, longe longeque anteponendum! E „quidem non somniasse KANTIUM crediderim, cum Ethices et Iurisprudentiae eundem fontem esse „docuit, rationem. Iurisprudentia enim et Ethica tam aptae inter se ac nexae natura sunt, ut, qui alteram ab altera distrahat divellatque, animi et corporis inducere discidium videatur. Utraque disciplina e ratione exoritur; utraque actiones hominum regit; nec quoniam actionum externarum imperium

Differentiam Ius naturae inter ac Ethicam aequè minus observarunt; qui in fragmentis operum nobis servatis de iure philosophantur, Icti Romani, pluri- mi Stoicorum placitis addicti; et ob hanc causam de Stoicis antea nil dixi: quare nunc meam de Ictis Romanis sententiam veram esse, probare conabor.

Primo quidem notum est, Stoicos proprie iuribus tantum intellexisse illa praecepta, sive potius affectus physicos, quos communes habet homo cum ani-

„Iuri tribuitur, Ethicae contra internae actiones subiectae dicuntur, idcirco hae disciplinae a se invicem divellendae videntur. Quasi vero in civitatibus, cum alius rei militaris curam gerit, alius iurisdictioni praestet, uterque non a summo imperante auctoritatem omnem munusque suum mutuatur.” An distinguendae sint disciplinae Iuris Naturae et Ethicae, in ipsa nostra commentatione videndum erit. Argumenta vero, quibus Doct. d' ENGELBRÖNNER suam, de iis non distinguendis, sententiam confirmare studet, non multum ponderis habere mihi quidem videntur. Quod enim dicit, utramque, etiam ex KANTII sententia, ex ratione oriri, quis negat? sed quid! ergo propterea Ius Naturae et Ethica unam tantum faciant disciplinam, quia eundem habent fontem? an non alio respectu diversae, atque omnino separandae esse possunt? aut forte singulae disciplinae, quae ex eodem fonte promanant, ex Doct. d' ENGELBRÖNNERI sententia, revera non differunt, sed unam eandemque tantum constituunt disciplinam? Ex hac profecto argumentatione ad tres tantum disciplinas facile reduceremus omnes, prouti vel experientiam, vel intellectum, vel rationem habeant fontem, quippe omnis humana cogitatio ex his tribus tantummodo fontibus oriatur. Sic Historia naturalis, Physica, Astronomia, Geographia, Medicina, Historia, caet. unam tantum constituent disciplinam, quippe omnes experientiam habentes fontem; aut potius duae disciplinae essent, ex hominis natura, vel sensuali, vel rationali ortae; vel tandem una esset, eaque ipsum hominem habens fontem. Hinc videmus, quo hoc argumentum, quod probaret Ethicae et Iuris Naturae disciplinas non esse separandas ob fontem communem, nos ducat; nihil itaque probat. Quod sequitur de nexu, quo inter se iunctae sunt hae disciplinae, ut separari nequeant, argumentum non est, sed effatum, cuius probationem desideramus. Dein dicit, quoniam actiones externae obiecta faciunt unitas, internae contra alterius disciplinae, idcirco disciplinas non a se invicem divellendas videri. Quare autem haec non idonea sit separandi causa non addit, et id est quod quaerimus. Sequitur comparatio ex civitatis moderatione deprompta. In rebus philosophicis argumenta, ex comparatione quadam desumpta, non multum quidem probant: illa vero, quam Doct. d' ENGELBRÖNNER proponit, nihil plane efficit; imo, si quid probat, contra ipsum probat. Namque an propterea quod cum is, qui rei militaris curam gerit, tum is, qui iurisdictioni praestet, a summo imperante auctoritatem omnem mutuatur, ad eandem provinciam utriusque pertinent res? an non potius necessario hae a se invicem sunt separandae et distinguendae provinciae, ut quaeque sua tantum regat obiecta, nec altera cum altera quid habeat commune? Porro huius comparationis vis nititur argumento primum proposito, hoc nempe, quod, quae ab eodem fonte descendunt, res non possunt separari; quid autem hoc probet supra vidimus, cum et plures aliae adfint causae, quare in specie diversas dicamus disciplinas.

malibus; quique absolvuntur sui, generis, ac sobolis conservatione (11); et quod ad haec ita dicta *Iura* attinet, de iuris a virtute separatione nihil quidem cogitari potest; sed praeterea, ubi disputant de iustitia et de iure Gentium naturali, commiscuerunt virtutis ac honestatis regulas cum iis, quae ad ius pertinent. Probare hoc videtur illa ULPIANI (12) aequi ac iniqui, et liciti ac illiciti commixtio, eo loco facta, ubi philosophica ratione de iure ac iustitia disputat, ubi ergo notionem iuris separare debuerat ab aequo et licito, si-
ve ab aequitatis et virtutis notionibus; probare hoc videtur eiusdem iustitiae definitio: „*est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi*” (13); *constanti* quippe et *perpetua voluntate virtutem* intelligebant Stoici; ita vera haec definitio minime apta est ad disciplinam Iuris, a disciplina Ethicae bene fecerendum; probare hoc videtur Iuris praeceptum, *honeste vive!* (14). ULPIANUS quippe hic honestatem non eam intelligit, legibus praescriptam positivis, atque in civitatem introductam; verum de iustitia et iure philosophatus, et iustitiam virtutem esse disputans, honestatem illam naturalem, quam et virtutem dixerunt Veteres, hoc Iuris praecepto contineri voluisse videtur. (15) Porro ad ius Gentium a POMPONIO refertur „*erga Deum religio, ut parentibus et patriae pareamus*” (16) quae quidem, ad officia virtutis pertinentia, ad iuris, aut Naturalis, aut Gentium, obligationes referri numquam possunt. (17)

(11) Pr. E. de I. N. G. et C. L. 1. § 3. ff. de Inst. et Iure. (12) Lex 1. § 1. ff. de Inst. et Iure. (13) L. 10. pr. ff. eod. (14) L. 10. § 1, laud. (15) Vide tamen omnino quae de significatione trium regularum iuris egregie disputat Doctiss. F. L. VAN SONSBEECK in *Disf. ad Leg. 10. ff. de Iustitia et Iure etc.* Groningae 1809, imprimis vero p. 16. seqq. (16) L. 2. ff. de Inst. et Iure, I. L. 1. § 4. eod. (17) Mihi, Ictos Romanos non observasse distinctionem inter officia ac obligationes statuenti, obiici posse L. 17, § 3. ff. *commodati*, equidem scio; in qua lege PAULUS distinguere videtur inter officium et obligationem: verum non opposuit hic PAULUS *officium virtutis*, nullam cogendi facultatem praebens, *obligationem Iuris naturalem*, cuius adimpletio exigi potest; sed *suscepta obligatio PAULI* est obligatio *Iuris Civilis*, et hanc, ubi suscepta est, ab eo distinguit, quod, ante obligationem susceptam, magis esset voluntatis et officii; ut adeo ex hoc PAULI fragmento concludi non possit, eum quamdam distinctionem observasse inter *officia virtutis*, et *obligationem Iuris Naturalem*. Ast vide Cl. GRATAMA, *Regtsgel. Magaz. I D. pag. 426. not. 185.*

§ IV.

Atque hac ratione pro instituto satis mihi videor de Iuris naturae ac Ethices praeceptorum commixtione ab antiquitatis philosophis dixisse. Iis temporibus, quae postea venerunt, barbariei densa caligine ita fuere involuti populi Europaei, ut de philosophia excolenda ne cogitatum quidem fuerit. Tandem vero ex tantis tenebris sensim lux affulsit hominum ingeniis, bonasque artes et doctrinas iterum excolere coeperunt viri prae aliis docti; nec tamen hi Ius Naturae evexerunt ad disciplinae separatae dignitatem, verum cum Ethica, cum Theologia positiva, cumque legibus positivis hic illic permixta singula tractaverunt iuris naturae capita. GROTIUS, de auctoribus, qui ante ipsum scripserant, locutus, „illi,” inquit, „omnes de uberrimo argumento paucissima dixerunt, et ita plerique, ut sine ordine, quae naturalis sunt iuris, quae Divini, quae Gentium, quae Civilis, quae ex canonibus veniunt, permiscerent, atque confunderent.” (18)

§ V.

Ecce vero, ille ipse GROTIUS, qui primus (19) iuris, quod a natura ac ab aeterno, et immutabile existit, disciplinae systema extruxit, illudque certis principis, ab aliis disciplinis distinctis, inaedificavit, suisque limitibus circumscripsit. Omnes, qui ante hunc venerant GROTIUM, quasdam dedisse iuris notiones, cum legibus moralibus ac positivis commixtas, vidimus, nec has ex certis quibusdam principis, veluti ex fonte, deductas, atque in artis formam redactas; nam alii ex Deorum voluntate illas derivarunt; ex humana natura, ad beatam vitam tendente, alii. Quid vero GROTIUS fecerit videamus. Hic separavit illud, quod revera *iustum* est, a virtutis, ab aequitatis ac politicae regulis: „illud quoque sciendum,” inquit (20) „si quis quid debet non *ex iustitia propria*, sed *ex virtute alia*, puta liberalitate, gratia, misericordia, dilectione, id, sicut in foro exigi non potest, ita nec armis deposci. Nam ad utrumque horum

(18) GROTIUS de I. B. et P. Proleg. N^o. 37. add. Cl. GRATAMA, Regtsgel. Mägaz. I D bl. 8, sq. (19) Vide Cl. GRATAMA, l. l. pag. 1, sq. (20) De I. B. et P. II, 22, § 16.

„non sufficit, ut id quod postulatur fit *ex morali ratione* faciendum, sed praeterea opus est in nobis *ius* quoddam sit ad illud, quale ius interdum leges divinae et humanae dant etiam circa debita aliarum virtutum, quod cum sit, nova tunc debendi ratio accedit, quae iam ad iustitiam pertinet:” quo loco quia clarius, quis apertius, quis melius probat, eum ius naturale a virtute et a legibus positivis distinxisse. Praeterea „temperavi me ab his,” inquit (21), „quae sunt alterius tractationis, ut quae docent quid *ex usu* fit facere; quia ista suam habent artem specialem, *politicam*.”

Uti autem ab aliis disciplinis separavit Ius Naturae GROTIUS, ita et hanc disciplinam fundamento satis firmo inaedificavit, illamque stabilivit, certum illi principium assignando, ex quo quid iuris sit posuit dignosci. Nempe, quod initio huius loci breviter diximus, GROTIUS in iis, quae iuris sunt, obligationibus exigendis facultatem cogendi posuit; hanc vero facultatem hominibus negavit in iis, quae ad virtutem spectant, ita ut cogere possimus alios, ut iuris obligationibus satisficiant, ut virtutis praeceptis morigeros se praestent illos cogere non possimus; hoc profecto nihil efficiebat ad disciplinam ordiendam, nisi et simul GROTIUS nos docuisset, unde dignosci queat, utrum quis hanc alium cogendi facultatem, ut hic aliquid faciat omittatve, habeat, an minus, et huius rei principium proposuisset. At vero hoc principium in necessaria ac rationali humanae societatis custodia positum esse docuit. Ex humanae nostrae naturae indole Vir summus probavit, hominem esse naturam (sens) socialem, cui proprium ac naturale est cum aliis, sibi similibus, in societate vivere: „inter haec autem,” inquit (22), „quae homini sint propria, est appetitus societatis, id est, communitatis, non qualiscumque, sed tranquillae, et pro sui intellectus modo ordinatae, cum his qui sui sunt generis:” et porro: „haec vero,” inquit (23) „quam rudi modo iam expressimus, societatis custodia, humano intellectui conveniens, fons est eius iuris, quod propria tali nomine appellatur.” Ex hac vero societatis humanae rationalis ac necessariae custodia, quid iustum, quidve iniustum sit, derivat GROTIUS (24); eo scilicet redit doctrina GROTII, ut, si de actione alicuius cum naturali iustitia quaeratur conve-

(21) I. I. Proleg. N. 57. (22) I. I. Proleg. N. 6. (23) Ibid. N. 8. (24) Exempla exstant de I. B. et P. I, I, § 3. N. 1. et I, 2, § 1. N. 3.

nientia, vel disconvenientia, videndum sit, an possit subsistere, salva et illaesa aequali hominum societate; si possit, iustam pronuntiat actionem; si minus, iniustam eam dicit: iustam itaque regulam, ex mente GROTHII, haec esse videtur: *ita age, ut actio tua non aduersetur notioni societatis humani generis necessariae et rationalis.* (26)

Præterea GROTHIUS ius naturæ derivavit ex principiis hominum internis; ex sua ipsius natura, nullæ ratione habita alius cuiusdam naturæ, sive entis superioris, quod auctoritate decreverit quid sit iustum, quidve iniustum: „et hæc quidem” (scilicet ius aliquod inter homines existere) „quæ iam diximus,” inquit (26), „locum aliquem haberent, etiam si daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab Eo negotia humana.” Ab hac vero GROTHII doctrina inter plures recesserunt PUFFENDORF atque BARBEYRAC, qui iuris naturæ vim obligandi ex voluntate Dei derivant (27) uterque tamen ratione diversa.

§ VI.

Post GROTHIUM Iuris Naturæ Doctores plerique, huius vestigia secuti, omnes hominum obligationes morales distinxerunt in *obligationes iuris ac virtutis*; priores dixerunt plurimi *obligationes perfectas*, posteriores *imperfectas*. Hæc adimplendis quemvis hominem teneri docuerunt, quatenus velit honeste, pio, probe vivere; si vero sensuum malit illecebris morem gerere, si affectus male moderatos malit sequi, nemo est, qui eum cogat, ut obligationibus imperfectis satisfaciat: ~~in his igitur, quod aiunt, nulla est facultas cogendi.~~ In prioribus contra facultatem cogendi inesse statuerunt; ita ut alii, quibus ius est acquisitam ab alio petendi, ut hic aliquid aut faciat aut omittat, si huic obligationi non satisfaciat, hunc cogere possint, ut, quod facere ex iure tenetur, revera faciat. Utut in hac distinctione plurimi eandem secuti sint viam,

(25) Conf. CL. GENTIANA, l. 1. p. 25, sq. et doct. S. GRATIANA, in Diss. inaug. de iure et iniuria, p. 124, 129. (26) l. 1. Proleg. N. 11. add. N. 12: et L. 1, 1, § 10, N. 1, 2, et 5. CL. GENTIANA, l. 1. p. 24, 30. (27) PUFFENDORF, de O. H. et C. I, 2, § 5: et de I. N. et G. II, 3, § 4 et 19: et BARBEYRAC, ad-hæc loca, in Gallica versione.

alias plane ingressi sunt; easque inter se diversissimas, simulac eo ventum esset; ut aliquod principium esset ponendum, ex quo posset cognosci, quaenam iam nunc pertineant actiones ad obligationes perfectas, quaenam contra ad imperfectas; atque ubi de hoc principio inveniendi quaestio agitabatur, mirum in modum ea iterum commiscuerunt, quae honestatis sunt, cum iis quae sunt iuris; nonnulli iuris naturae principium petentes ex Dei voluntate, alii ex communi hominum salute, utilitate, felicitate promovenda; ex perfectione, ad quam perpetuo tendat homo, alii; ad hoc opusculum autem non videtur pertinere haec omnia, ne si pro viribus possemus quidem, ad examen revocare. (28). Vidimus igitur, necdum post GROTII opus de Iure belli ac pacis, per longum temporis spatium eo pervenisse viros doctos, ut inter se de Iuris Naturae fonte et obiectis consentiant; hoc tantummodo plurimi fecerunt, ut inter obligationes perfectas et imperfectas, sive obligationes iuris et virtutis officia distinguerent, nullo tamen posito principio, ex quo ius derivarent, firmo et stabili: sed si iuris naturae accurate limites non posuerint, tamen forte feliciores fuerunt philosophorum conatus in Ethices disciplina stabilienda; et huic principium quoddam, generaliter agnotum, invenerunt? Videamus!

§ VII.

Philosophorum, qui tempora, in quibus scholae Criticae molimina totam philosophiam nova veluti facie donaverunt, antecesserunt, de obligationis moralis fundamento sententiae ad triplicem classem referri posse mihi quidem videntur. Sunt enim alii, qui illud obligationis moralis fundamentum derivarent ex voluntate Dei; alii, qui ex ipsa hominis natura illud profluere arbitrarentur; aliis tandem satis firmum fuisse videtur, nullam naturaliter adesse differentiam

(28) Diversa principia iuris naturae recensentur a MEISTERO, in Biblioth. Iur. Nat. vocibus *Ius naturae* et *principium*. Adde HOEFFNERI tractatum, opere illius *de Iure Naturae* subiectum. Plurima praeterea iuris principia Cl. quorundam auctorum, ad duas classes relata, examinavit et refellit I. F. FLATT, *vermischte Versuche*, Lips. 1785, in Tractatu I, pag. 6, multis sequentibus: Ipse vero auctor contendit pag. 5: „dass das Naturrecht im neüeren Sinn entweder gar nicht, oder doch nicht in dem „Umfang, und in der Form, die es jetzt hat, zu der Zahl der Wissenschaften gehöre:“ quam sententiam stabilire aggressus fuit, post aliorum opiniones refutatas, pag. 101, 109.

actionem malam inter ac bonam, veram hanc differentiam ex rerum rationibus, aucta amplificataque humana societate, esse adinventam. Ad priorem classem pertinent inprimis PUFFENDORF, et, qui hunc strenue defendit, BARBRYRAC. (29) Alterius vero sententiae, sive moralitatis internae defensores inter recentiores inprimis sunt LEIBNITZ (30) et WOLF. (31) Illi summam agendi legem in Dei voluntate ponunt; hi vero non omnes idem agendi principia admittunt. Antiquissimum est illud Graeci EPICURI: *fac te felicem!* Aliorum vero, quod proposuit WOLF, est: *perfice te!* Cum tandem Angli HUTCHERSONI principium virtutis sit: *age secundum dictamina sensus tui moralis!* Vir amplissimus T. SYPKENS horum omnium philosophorum opiniones exposuit, atque eas felicissimo successu impugnavit. (32) Quamvis de principio et causa obligationis deinceps dicendum sit, quae a Criticis philosophis probantur, hoc tamen loco obiter observandum mihi videtur, ab utraque summae moralis legis derivandae ratione, quam modo tradidi, Criticos recedere philosophos, quippe qui, uti omnem auctoritatem extraneam firmiter negant, ita etiam falsum esse omne honestatis fundamentum disputant, quodcumque a fine quodam felicitatis, vel perfectionis, vel aliunde sumitur; hi itaque defendunt, omnem honestatis causam in veneratione positam esse legis, quam in se habet homo, cuiusque praecepto ipsi, sine ulla restrictione, est obediendum.

Eorum tandem, quos ad tertiam retuli classem, philosophorum principes sunt MONTAGNE, qui docuit bonum esse, quod convenit cum educationis nostrae regulis; et MANDEVILLE, ex cuius sententia illud bonum est, quod convenit cum moribus patriae. ~~Non ut ego, probe virum huius rei minime parium conscius, hasce opiniones refellerem, illas proposui; verum hoc tantummodo consilio, ut ostenderem, quam parum adhuc inter se convenerint viri docti de virtutis summa aliqua regula constituenda, ex qua honestas, vel turpitudine actionum humanarum posset diiudicari.~~ (33)

(29) Vide loca supra in nota 27 citata. (30) Epist. II, 145. Ed. KORTHOLTI, et Epist. Cens. adiecta editioni PUFFENDORFII de O. H. et C. Trai. 1769. II, 989. seqq. (31) Philof. Pract. I. § 56. seqq. et § 131. seqq. (32) In Disf. Philof. Iurid. inaug. de primo moralitatis principio, Gron. 1801. Plura moralitatis principia recensuit GARVE Uebersicht der vornehmsten Principien der Sittenlehre. Breslau 1798. (33) De hoc Philosophorum inter se dissenfu Conf. REINHOLD, Briefe über

§ VIII.

Haec igitur ratione per seculorum plurimum intervalla disputarunt philosophi de principiis virtutis ac iuris constituendis, de rebus summi momenti toti humano generi, quibus an quid malus, quid prius sit, ego quidem nescio. Neque tamen disputando eo pervenerunt, ut certam aliquid atque indubitatum fundamentum iacere potuerint, cui boni ac mali, iusti ac iniusti philosophiam, quasi aedificium, possent inaedificare. Omnes quidem fere in eo consenserunt, hominum actiones aut iustas esse aut iniustas, aut bonas aut malas; sed summam iustitiae virtutisque regulam singuli posuerunt diversam. Hisce perpetuis disensionibus ingeniorum in varias partes dilaceratorum, orta est omnium fere disciplinarum conditio incerta atque vacillans (34); atque factum est, ut doctrinae Metaphysicae existentiam atque utilitatem negarint haud pauci, qui medio seculo proxime praeterlapso vixerunt, viri acutissimi (35); nec tamen propterea philosophi de Metaphysica denuo ac firmiter stabilienda nihil solliciti fuerunt; sed cum sibi persuasum habuerunt, philosophiam alia plane ratione esse tractandam, ut ad veritatem via posset sterni (36), vir summus, quem laudare iuvenem dedecet, KANTIVS ex Germania, philosophorum feracissima patria, prodiit, Criticae, quae dicitur, philosophiae pater ac auctor; huius autem philosophiae, cum videatur vera dedisse principia, e quibus de iure ac virtute disputare possumus, placita iam nunc ego pro viribus, eatenus tamen, quatenus huius opusculi propositum requirit, exponere conabor.

die Kantische Philosophie II Th. 2 Brief. (34) REINHOLD, l. l. I Th. 1 Brief s. 12, f. (35) REINHOLD, l. l. c. 97 et 90. (36) REINHOLD, l. l. I Th. 3 Brief, inprimis pag. 92, sqq.

C A P U T I.

De Ethices fonte, obiecto, ac fine.

Perspiciuum habuit KANTIUS, ea ratione, qua, qui ante ipsum de iis cogitassent obiectis, quae humano generi summi sunt momenti, de Deo, de virtute, de iure, ceteris, veritatem quaesierant philosophi, ad illam perveniri non posse. Neque enim accurate satis ac sedulo in illam mentis humanae facultatem inquieserant, qua obiectorum extra se positorum homo cognitionem acquirit; et obiecta contemplantes, quatenus animo nostro observantur, quaestionem non moverant, an illa obiecta revera sese ita nobis repraesentant, uti sunt, an vero mutationem aliquam patientur, cum in sensus illa excipimus. Nisi tamen hoc certum sit, de ipsis obiectis disputatio vacillans et incerta est: „man muss,“ inquit REINHOLD (37) „eine auf einem allgemein geltenden „Princip feststehende Antwort auf die Fragen ausfindig machen; was ist überhaupt *erkennbar*? was ist unter *Erkenntnisvermögen* zu verstehen? und worin besteht das eigenthümliche Geschäft der *Vernunft* beym *Erkennen* überhaupt?“ Hac itaque ratione permotus KANTIUS in mente humana primo illam investigavit facultatem, quam *cognoscendi* appellant philosophi; in rerum autem cognitione ~~acquirenda triplici agit modo facultas cognoscendi~~, nempe *sensualitate*, sive *facultate sentiendi*, *intellectu*, et *ratione*; et ita quaevis harum facultatum comparata est, ut certas habeat leges sibi praescriptas universales, immutabiles, quas *formas* appellavit KANTIUS, secundum quas in cognitione functiones exerceat quaeque facultas.

Ad instituti nostri rationem sufficiat dixisse, intellectum esse eam facultatem, qua imagines rerum, per sentiendi facultatem admotas, coniungimus, disiungimusve, easque inter se comparamus, atque ex his iudicia, quae *conceptus* vo-

(37) l. l. pag. 93.

ant, formamus. Huius facultatis certās etiam formas determinavit vir acutissimus, quas *cathegorias* dixit, quae, si solae ac simpliciter sibi relinquuntur, cognitioni pariendae homini minus aptae sunt, at vero accommodatae ad ea, quae sentiendi facultate ad hominem sunt appulsa, ansam dant peculiaribus quibusdam decretis efformandis. Eminent inter has illa lex: *omnis res suam habet causam*, quam *causalitatis legem* vocant: ex hac vero lege, non ad res ipsas transferenda, verum ad sola phaenomena naturae restringenda, demonstravit vir acutissimus, quo modo, salva hac lege universali ac immutabili, libertas moralis in subiecto possit cogitari, quippe quod subiectum ad mundum phaenomenalem, seu ad phaenomena non pertinens, lege causalitatis, quae de phaenomenis tantum valet, teneri non potest. (58) Ratio facultas est conclusiones ex principiis deducendi, atque haec perpetuo eo tendit, ut cognitionem nostram absolvat et perficiat. Praeter iudicia ab intellectu formata in ipsa ratione notiones quaedam obviae sunt, quas non ab experientia petit, sed quae, ad ipsam rationem pertinentes, *ideae rationis* vocantur; quarum tamen expositio hic nil pertinet. Ratio vero, quatenus ad cognoscendi facultatem pertinet, atque de obiectis experientiae tantum sollicita est, vocatur *ratio Theoretica*. (39)

At vero non hic subsistit homo; non sufficit illi rerum extra se positarum scientiam acquisivisse, quatenus scilicet haec acquiri potest; maioris multo momenti quaestio se hominum ingenio semper obtulit, et offert quotidie, qua nulla maior, nulla gravior excogitari potest; et ad quam qui respondit, totius humanae naturae dignitatem se firmo fundamento stabilivisse gloriari merito poterit. Quaerit homo, *quid mihi est agendum?* Haec quaestio totam officiorum et obligationum seriem complectitur, omnes humanas respicit actiones. Pendet a responsione ad hanc quaestionem humana dignitas, quae, nisi sciat homo quid sibi sit agendum, quid omittendum, tota evanescit. Si physicis tantummodo impulsibus regatur homo, ita ut eo perpetuo tendat, ut vitam hic

(38) Vide. Cl. LUGERS, in *Dis. inaug. de Libertate* Gron. 1809. pag. 31—53. (39) Quae hic brevissime ac laeviter attingisse mihi ad sequentia intelligenda necessaria visa sunt, in omnibus Criticam philosophiam exponentibus libris inveniuntur. Praeter ipsius KANTII opera conferri possunt RESEWETTER „Versuch einer fassliche Darstellung der wichtigsten Wahrheiten der Kritischen Philosophie.” I Th. f. 31—229. VILLERS, „Philosophie de Kant, ou exposition, etc.” P. II, p. 235—361. VAN NEMERT, „Kritisch Magazyn, III Deel, III St. p. 73; alique huic operi inserti tractatus.

habeat commodam, affluentem deliciis, ut, quantum possit, sensuum satisfaciat titillationibus, bruti instar homo se nobis offert; verum quanto praestantior, quanto nobilior illa humana natura rationalis, moralis, quae secundum certas leges, non ex physica natura, aut sensuum affectibus ortas, suas componit actiones, ut existentiam suam moralem, rationalem ornet et perficiat. Atque hoc profecto hominis est. Sentiant omnes, quotquot sunt, aut fuerunt, aut denique erant homines, sibi quaedam esse facienda, alia vero omittenda; non omnia, quae agere possunt physice, licita esse, aut quaecumque agendi momenta honesta esse dicenda, humanaeque naturae praestantiae digna; sentiant omnes, quaedam a natura adesse differentiam honestum inter ac inhonestum, licitum et illicitum, iustum ac iniustum, quae non ortus differentiae ex legibus positivis, non ex educatione, non ex usu, non ex utilitate, quae vero suam habet causam in ipsa ratione, divinitus homini praedita; sentiant illam virtutem esse universalem, perpetuam, quae non a tempore, non a rerum conditione, non a populorum opinionibus moribusve pendet, verum ubique terrarum una ac eadem est, ita ut quae scelerata hic sit actio, alibi non possit bona laudari; neque haec boni malique, iusti iniustique differentia a nonnullis tantum hominibus, quibus perspicacius est ingenium, observatur, verum alta voce omnium hominum pectore se adesse virtus proclamat; „maximam hoc habemus naturae meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum permittit; etiam qui non sequuntur, illam vident.“ (40) Cuiusque igitur hominis, licet philosophiae luce destituti, ingenium illi quasdam actiones vel edendas vel omitendas praescribit; sed munus nunc est philosophiae, haec ingenii, sive sanctae mentis praescripta examinare; errorum fundamenta eruere, inquirere, an illa revera in hominum natura fundata sint, nec ne; tandemque veritatem exponere, et ab adversariorum vindicare dubiis et obiectionibus (41); in genere normam constituere certam, unde certa, in dubiis ob intellectus humani imbecillitatem quaestionibus, imprimis compositis, petatur decisio, cuius igitur normas ope et ad vera decantur philosophi, et ab erroribus avertantur.

Si experientia itaque quemque hominem doceat, ut inter bonum et malum

(40) SENECA, de beneficiis, IV, 17. (41) Conf. FETTERBACH, Kritik des Natürlichen Rechts, pag. 24, sq.

discrimen agnoscat; quaeritur, unde huius discriminis notionem acquirat. Cum autem illa suum debeat habere fundamentum in regula quadam agendi summa, sive primo principio homini proposito, non nisi ex ipsa ratione haec summa lex oriri potest, quoniam haec ad summa principia semper tendit; eaque proponit. Ratio itaque est, quae iubet ea facere quae sunt bona, omittere vero quae mala sunt; nemo est, qui se ipse attendente mente contemplatur, qui negare possit se hanc vocem, alia facienda praecipientem, alia omittenda iubentem audire; atque ita etiam aliorum hominum actiones diiudicamus ex hoc rationis nostrae praescripto, quod generale ac necessarium esse agnovimus, ita ut actionem malam vocemus, quaecumque ex nostrae rationis praescriptis nobis ita videtur; eam vero bonam praedicemus, quando rationis nostrae legi convenit. Rationi igitur proprium est, ut voluntati regulas praescribat, quas in agendo sequamur necesse est. Quatenus hanc suam functionem exercet ratio, *Practica* dicitur. (42) Si verum ita est, et quis negabit verum hoc esse, rationem homini leges quasdam in agendo praescribere, quas sequendas haec ipsa ratio absolute iubet; non potest non agnosci, hominem liberum esse debere, eum non liberum esse non posse; quippe si liber non esset, mali ac boni differentia, rationis practicae et officiorum existentia neganda esset, quae negari non potest: „alioquin enim,” inquit Cl. LULLOFS (43), „practica ratio „inane esset somnium, similisque tyranni imperio, qui manibus pedibusque ligatos currere, et operari iuberet: si vero eam cum libertate coniungamus „agendi, sanctissimum est mandatum, et ecce homo tibi exurgit divina suae „naturae dignitate conspicuus.” (44)

Ponamus igitur quae omnia ponenda sunt; humanarum actionum alias esse bonas, malas alias; hominem libertate morali gaudere, qua suo arbitrio se determinet ad actiones, vel bonas vel malas edendas; atque rationem, quam practicam vocamus, homini legem praescribere, quam in agendo sequatur; enodandae iam nunc supersunt quaestiones sequentes: quomodo legem ratio praescribit? quamnam praescribit? quidnam est huius legis obiectum?

I. Quomodo legem ratio praescribit?

(42) Conf. REINHOLD l. l. III Th. 3 Brief, initio. (43) In Disf. l. pag. 57. (44) Conf. quae eloquentissima de Libertate habet VILLERS, Philosophie de Kant, P. II, p. 367—373.

Prouti duplici modo ratio agit, duplici modo illam consideramus. Quatenus materiam cognoscendi a sensibus adductam, ab intellectu in conceptus formatam, absolvit et perficit, omniaque cognitionis obiecta ad principia generaliora revocet, *Theoreticam* hanc vocamus. In hac sua functione de obiectis extra se positis tantummodo sollicita est, et phaenomena considerat. At vero ratio, quando se ipsa contemplatur, perspicit non perinde esse quid agat homo, sed actiones alias bonas, alias malas esse; perspicit homini esse praescriptum bene agere, licet et male agere possit; sed nullo habito respectu rerum conditionum, actionis confectariorum, nullo personarum, nullo felicitatis, voluptatis (45), nullo perfectionis (46) habito respectu, iubemur bene agere, virtutem colere; et ratio, quae nobis in agendo regulas praescribit, *Practica* dicitur. Ex sui itaque ipsius natura hanc legem hominibus praescribit, quam non argumentis demonstrare possumus, quam vero intus animis nostris percipimus.

Ratio practica voluntati hominis regulam praescribit universalem, immutabilem, perpetuam; et homo hanc regulam sequi tenetur vi huius ipsius rationis, quae eam praescribit; ita ut haec absolute sine conditione quadam iubeat. Rationis practicae dictamen sequendum est propterea, quod ratio practica iubet, sive ob ipsam huius legis venerationem: „das Sitten-gesetz,” inquit REINHOLD (47) „zeichnet sich dadurch unter allen wirklichen und möglichen Gesetzen aus, dass es eine *Vorschrift* ist, die den Grund ihrer Nothwendigkeit in sich selber enthält, daher ohne alle fremde sanktion *Gesetz* ist, und „folglich lediglich um ihrer selbst Willen befolgt werden kann.” Illa hominis proprietates, quae vi rationis practicae sibi ipsa legem praescribit, a Criticis philosophis *autonomia* appellatur; atque rationis illa lex dicitur *imperativa catholica*, quia a nulla conditione pendet, atque per se universaliter ac necessario imperat.

(45) Vir ampl. T. SYRRENS, in dis. I. opinionem eorum refellit, qui felicitatem principium primum moralitatis praebere docent (p. 22—60) vide inpr. p. 40, ubi ostendit, quemnam circulum in demonstrando ii committant, qui felicitate se intelligere dicunt illud Poetae: „nil conscire sibi; nulla pascere culpa.” (46) De perfectionis principio vide Eundem, pag. 60, seqq. (47) Briefe etc. II Th. 3 Brief p. 65,

Uti rationis practicae, sive rationis, consideratae tanquam voluntati legenti praescribentis, est actionibus nostris normam dare, ita rationis theoreticae est singulos casus obvenientes examinare, et ad illos applicare regulam, ut exinde constet, quid in casu proposito ratio practica agendum praescribat. Quando igitur hunc illumve mihi propono finem, ratio mea theoretica actionem, ad hunc finem assequendum necessariam, comparat ad legem a ratione practica datam; et quando, sola legis reverentia ductus, hanc actionem vel facio vel omitto, prout bona aut mala a ratione pronuntiatur, revera bene, honeste ago. Potest quidem, ut actio mea, objective sumpta, revera mala sit; sed hoc casu ex eo hoc actionis vitium oritur, quod illam male ratio theoretica sibi repraesentarit. Ego, sola legis practicae veneratione agens, utut in facto errans, probus ac honestus maneo. Ab altera parte, quando actionem quamdam insituo, patriae, humano generi utilissimam, verum tantummodo dignitatum ambitione, divitiarum cupiditate, honoris vel praemii spe motus, nihil feci quod virtutis mereatur nomen; prudens forte ac calidus fui, bonus equidem non fui.

II. Quam legem praescribit?

Ea est homini natura, ut duplici possit considerari modo. Est illi natura sensualem, qua, sensu voluptatis ac taedii affectus, eo perpetuo tendit, ut perpetua ac quam maxima fruatur voluptate, qua se felicem reddere cupit, qua omnem taedii dolorisque sensum a se avertere studet; estque hic felicitatis appetitus ita in homine fundatus, ita cum eius natura coniunctus, ut frustra conetur quis illam eruere, frustra quis praedicet se illam vicisse. Ab altera parte hominis natura rationalis, priori sapientiae opposita, ad maiora illum tendere iubet, nulla felicitatis habita ratione, et perpetuo illi imperat, ut iustus, ut bonus sit, utut ex virtutis cultu miser ac infelix evadat. Duae illae in ea naturae, rationalis ac sensualem, continuo de summo quasi imperio certant, et plurimum vario successu, ita ut hoc casu alter vincat, alter alio. An igitur haec perpetua sit miserrima humanae naturae conditio, ut in oppositas semper partes trahatur? estne uni illarum naturarum imperium plenum concedendum, ut alteram omni modo ex homine eruere atque evellere conari debeamus? num forte, quando rationi obtemperamus, exinde etiam felices evadamus necesse est, ita ut hoc modo inter se possent consentire haec diversifi-

mae naturae (48)? Igiturne *REGULUS* ille *Batavus* *BEYLING* felix fuit, quia rationi obediens datam hostibus fidem servavit, carissimam coniugem reliquit, atque crudelissimae morti semet obtulit? Imo felix non fuit! Quid in perpetua hac pugna faciendum est? Quisnam, veluti Ariadne, nobis filum dabit, quo ex hoc labyrintho nos extricare possimus? Sua moralitatis lege Ratio dabit.

Ratio, vi suae naturae, perpetuo tendit ad τὸ absolutum inveniendum, summum principium, quo ad consensum redigantur omnia nostrae cognitionis obiecta; et inde etiam facultas principiorum vocatur. Quae diversa sibi a sensibus offeruntur coniungit, a τῷ conditionali ad conditionem adfurgit, ab effectu ad causam, et haec eo perducit operationem, donec omnia sibi a natura diversa oblata in unum, in consensum redigat, omnemque disensum, omnem repellat repugnantiam, quae rationi omnino contraria est, nec ab illa potest admitti.

Vidimus nunc fines, quos homo sibi proponit, habito respectu vel ad naturam suam sensualem, vel rationalem, diversos atque sibi oppositos esse. Haec quae rationi igitur diversa offeruntur, ab hac, secundum formam suae operationis, quae summum requirit omnium diversorum obiectorum consensum, in consonantiam debent redigi, et omnis disensus tollendus est; si itaque regulam invenerimus, qua hic disensus plane rescindatur, qua hominis natura sibi ipsa consentiat, summam invenerimus moralitatis legem, id est, normam, quam practica ratio homini ad suum libertatis moralis usum praescripsisse est censenda. (49)

~~Cum humanae naturae illa sit indoles, ut ab ea plane evelli nequeat felicitatis sensus, absurdum hoc velle adeo foret; tantummodo quaeritur, quinam, sive sensuali sive rationali, appetitui parendum sit, ubi cuiusque consilia sibi invicem sunt opposita? Dubius autem esse nemo diu poterit, qui suam ipsius conscientiam candide examinat, ac veritatem quaerere cupit. Omnes enim uno ac pari consensu rationis legibus summas concedimus partes; rationi vero legem praescribenti per se, ob solam legis reverentiam, est obtemperandum; ita ut non respici debeat ad quemdam finem, veluti legis conditionem, sed ratio pra-~~

(48) VILLERS, l. l. pag. 374 et 375. (49) Conf. FEUERBAEH, Kritik etc. p. 268, § 5.

ctica sui ipsius finis sit. Ex his sequitur, nos agendi principium hoc ponere posse: „semper te ipse tamquam naturam rationalem pro fine, numquam vero pro medio ad quaevis consilia habe!“ Hoc modo in pugna naturam sensualem inter ac moralem, posterior, quippe quae tamquam finis consideranda est, vincat necesse est, cum medii instar rationem haberemus, si ea tantummodo utamur, ut naturae sensualis consilia attingamus. Omnibus autem naturis rationalibus, omnibus hominibus hoc idem principium in ratione sua est positum, neque quod in nostra ratione agnoscimus principium, in aliis non agnoscere possumus; quapropter id iam nunc ita extendimus, ut dicamus: „semper quamvis naturam rationalem pro sui ipsius fine, numquam pro medio ad quaevis consilia habe!“ Ex hoc autem principio observato sequitur, nobis talem agendi normam esse eligendam, quam omnes naturae rationales, si velint, aequaliter sequi possint ad sua sibi consilia promovenda. Nisi enim hoc faciamus, si aliquam actionem instituamus, qua alias naturas rationales prohibemus eadem agere, aut si haec actio, tamquam omnium propositum considerata, ipsa sibi repugnaret, ceteras naturas rationales media, nostris consiliis inservientia, haberemus. Ex his sequitur, nobis hanc moralitatis legem proponendam esse: „ita age, ut velle posses, ut tua agendi regula legem universalem omnium naturarum rationalium constituat, neque hoc casu se ipsa tollat!“ Haec summa lex, quae universe obligationem exprimit, hac etiam ratione tradi potest: „vitae regulam, quam tu sequaris, sive ad quam tuas actiones tu componas, elige illam, quae pro lege omnibus communi possit valere!“ (50)

Haec lex, a rationis forma summum consensum requirente derivata, summa videtur esse regula humanarum actionum moralium, et omnia ex hac lege diiudicari posse videntur officia. In hac lege applicanda spectandum est ad regulam subiectivam, (*maxime*) quae nos ad agendum impellit; si *illa regula, quae nostrae regulae (maxime) opposita est*, se ipsa tolleret, neque legem universalem posset efficere, *nostra* regula comprobatur, et proposita actio moralitatis lege iubetur. Si vero nostra regula se ipsa tollat, et legem universalem non possit constituere, actio nostra vetita est. (51) Tandem simpliciter et absolu-

(50) FEUERBACH, l. l. p. 35, et 269 sqq. § 6. sqq. VILLERS l. l. pag. 383 sqq. SYPKENS, in disc. l. p. 131, sqq. § 65 et 66. (51) KANT, Metaphysica morum, in Operibus, ed. Bornii, Tom. IV, p. 564.

te licita est actio, quae, quando omnes idem vellent, sibi repugnans non esset, nec cuius contrarium etiam, si omnes vellent, sibi repugnaret, aut, quam consilium commune naturarum rationalium habere, et etiam non habere possemus. (52) Exempli loco hoc sit; impositum hominibus est officium sibi invicem, quantum possint, opem ac auxilium ferendi, quia, si contrarium statueremus, in repugnantiam duceremur necesse esset. Ponamus aliquem dicere: „ego „nulli auxilium praebeo:” ponamus hanc regulam (*maxime*) omnibus naturis rationalibus legem esse; an vero absurdius quid quis possit sibi fingere! an ne hac ratione consilia hominum possent impleri, aut an potius eo ipso quisque homo consilia sua quaevis ad effectum ducere non posset? hoc profecto, Cum sua itaque consilia attingere non possit homo, si haec regula normam universalem constitueret; adeoque illud velle, esset sibi repugnantia velle, non est admittenda; verum cuivis homini incumbit officium aliis se paratum ad adiuvandum, eorumque commoda augendum praestandi. Porro; quaeritur, an liceat alterum, sui commodi causa, falsa rei repraesentatione decipere? ex moralitatis lege hanc actionem omnino vetitam esse pronuntio; consideremus hoc consilium commune esse naturarum rationalium propositum, atque omnes hanc sibi regulam (*maxime*) proposuisse: „sui commodi causa cuivis licet alios circumvenire.” Anne, hoc posito, omnis fides submoveretur, atque eo ipso mihi aliquid dicenti non crederent homines, nec igitur consilium meum alios fallendi possem attingere? Repugnantiam adeoque involveret, et se ipsa tolleret meae actionis regula, tamquam lex generalis cogitata, et igitur proposita actio vetita est. Libero tandem meo plane arbitrio relictum est, an v. gr. velim nunc manum meam huc ~~huc~~ movere, an non velim, quia hic motus omnibus naturis rationalibus communis sibi non repugnat; contrarium vero, quando manus non movetur, itidem existere potest. Hanc ita actionem generalem cogitare, et non cogitare possumus, adeoque simpliciter licita est. Interim observandum vanam plerumque esse de actionibus mediis disputationem, si ad vitae usum doctrinam applicemus, cum profecto nulla fere actio sit in abstracto media, quin, si cum adiunctis sumatur, statim fiat vel iusta vel prohibita.

E dictis porro intelligitur, actionum honestarum necessitatem non a causis

(52) FEUERBACH, l. l. p. 36 et 280, § 17.

physicis, verum ab ideis pendere; quippe homo, quamvis, saltem quoad corpus, ad mundi sensibilis phaenomena pertineat, et hac ratione naturae legibus necessario fit subiectus, propter rationem tamen facultatem habet actiones, non tantum ex sensuum viribus aut incitamentis externis, sed ex ideis producendi. Igitur ratio a se ipsa est causa actionum suarum, actionemque inchoare valet, nec per tempus, nec per spatium determinatur, adeoque ratio per se subsistit, non est phaenomenon.

Hoc itaque modo exponenda videtur, quam homo in agendo sequatur, suprema lex; et hanc etiam generaliter consentaneam inveniemus cum eo, quod homines in genere, sua tantum de bono ac malo conscientia ducti, facere videmus; nempe quam plurime audimus homines hac formula utentes, cum aliorum actiones diiudicant: „pone, omnes ita fecisse, quo tandem haec agendi ratio duceret?“ ipsi igitur sua rationis lege, quae generalia et universalia postulat, eo adducuntur, ut aliorum actiones ex hoc principio diiudicent.

Si itaque et usu, et simplicitate, et eo, quod universam possit normam agendi praebere, sese haec lex commendat: si consentiat cuiusque de bono ac honesto opinionibus, si plene satisfaciat quaestioni illi, omni aevo agitatae, quid homini sit agendum, hanc legem moralitatis ponamus, atque inquiremus

III. Quidnam sit huius legis obiectum?

Non in consiliis hominibus propositis, non in hominum actionibus hoc invenimus obiectum; hisce enim lex non imperat; verum nostrae voluntati normam praescribit. Voluntas nostra, ut a facultate appetitiva, ita etiam diversa est a ratione practica (53); facultas appetitiva momentis extrinsecus desumptis, non vero a ratione practica depromptis, veluti tectitatis, honoris aut laudis cupi-

(53) Quod dixi voluntatem diversam esse a ratione practica nonnullis videtur KANTIO non ita probatum esse, quin, si locum ex constitutione metaphysices morum (operum T. II. p. 285. Ed. Born.) cum Critica rationis purae practicae conferas, sibi aperte obloquatur. In illo opere enim „cum „ad actiones“ inquit „a legibus derivandas ratione opus sit, sequitur, ut voluntas nihil aliud quam „ratio practica videatur“ cum in hoc, ubi voluntatis naturam uberius explicat, hanc a ratione practica diligentissime distinguat. Hoc autem ut tollatur discrimen, et ab adversariorum obiectione philosophus vindicetur, statuendum videtur, voluntatem rationis practicae legibus, seu summis agendi principiis adstrictam esse, quibus si quis convenienter agat, rationis practicae formam voluntas induit, eiusque agendi modum re ipsa repraesentat.

dine, in voluntatem agit, et hanc ad sua sibi proposita efficienda determinare conatur; volumus tamen saepissime ea, quae non appetimus, et ea, quae appetimus, nolumus; nec igitur cum facultate appetitiva eadem facultas est voluntas; ratio practica, quae nec ipsa est voluntas, legem suam voluntati praescribit, ac simpliciter legis veneratione haec voluntas tenetur huic legi obtemperare, licet libertate morali possit et non obtemperare. *Velle* itaque, si pura volendi notio spectetur, facultas est sui ipsius legibus sese ad efficiendum aliquam rem, animo repraesentatam, sponte determinandi. Est igitur *spontaneitas* caput in voluntatis notione. A vi vero mentis sensitiva et appetitiva proficiscuntur incitamenta quaedam, quae pronam reddere voluntatem possunt ut vi sua utatur.

Ex eo autem sponte sequitur, quaenam actiones moralem aestimationem patiantur, quaenam non patiantur, sive in quibusnam actionibus locum habeat moralitas, id est, de earum convenientia vel inconvenientia cum lege rationis practicae quaeri possit; in omnibus nempe actionibus, quae a nostra voluntate non pendent, de earum honestate aut turpitudine quaestio nulla est et inanis, quia legi morali non sunt subiectae. Facile nunc est docere quid sit officium, postquam de interna eius potestate, indole atque fonte dixi. Est enim *officium*, respectu ad personam obligatam, „necessitas moralis, actiones suas ad rationis practicae legem accommodandi, propter solam legis reverentiam.” Hoc sensu dicimus, „mihi incumbit hoc illudve faciendi officium;” id est, „moraliter necesse habeo hanc actionem instituire, propter illius cum lege rationis practicae convenientiam.” *Officium* vero, pro actione sumtum, est actio, „moraliter necessaria, legi rationis practicae conveniens, propter ipsius legis reverentiam peragenda;” ~~hoc sensu loquimur de officiis erga nosmet ipsos, erga alios, cet.~~

Quam simplex autem, quam pulchra simul se ostendit hic nobis virtutis haec et officii notio! Non a fortuna pendet, quae nos in multarum rerum tumultu collocavit, aut nobis vitae rationem praescripsit solitariam, ut virtutem exercere possimus; non ab educatione, quae multa nos instruxit doctrina, aut contra, parum mentis facultates excoluit: non a favore aliorum, qui plurima nobis peragenda mandarunt negotia; quisque enim, quovis loco positus; quibusvis facultatibus instructus, potest virtuti obsequium praestare.

Proposui legis moralis ac virtutis naturam et indolem ex Criticae philosophiae sententia, quatenus scilicet in hac expositione non erravi, quod, ne multis lo-

eis factum sit, vereor. Pulcherrima autem FEUERBACHII (54) videtur observatio, cum dicat haec demonstrari non posse, verum sufficere contra scepticismi defensores ostendisse, quomodo lex moralitatis ex ratione declarari atque exponi possit, cum hominis non sit explicare, quomodo ex ipsa interna legis illius natura, quae nobis phaenomenon non est, verum ad res ipsas pertinet, (55) illa ex ratione existere possit, et existat: „will er noch weiter fragen,“ inquit, „will er wissen wie auch das Sitten-Gesetz seinem innern Wesen nach durch Vernunft möglich und wirklich sey? so können wir freylich nichts antworten; denn um dies zu können müsten wir mehr von der Vernunft als ihre Form, wir müsten ihre innere Natur, und die Seele, wie sie an sich ist, kennen: aber wir dürfen ihm nur seine Frage zuruckgeben: wir brauchen sie nicht zu beantworten, da wir uns durch unser vorhergehende Antwort hinlänglich gesichert, und unser Palladium vor allen Angriffen verwahrt haben.“

Inquirendum igitur nunc est, quinam ex dictis debeat esse Ethices disciplinae fons, quidnam obiectum, quis finis; quae brevissime ex supra dictis sponte redundantia tantum indicare opus erit.

Disciplina est complexus veritatum quarundam, sub uno conceptu coniunctarum, ex certis principiis deductarum, atque in ordinem accuratum, et docendo aptum dispositarum.

Ethices itaque disciplina summum moralitatis principium quaerit, atque veritates, ex hoc principio deductas, accurate et ordine complectitur atque tradit.

Sunt vero omnes disciplinae, si mathematicas excipias, quarum propria est indoles, vel *Philosophicas* vel *Historicas*. Quae ad priorem pertinent classem illas exhibent notiones, quae ex sola ratione eiusque conceptibus derivantur, cum quae ad posteriorem pertinent classem, illas continent veritates, quas ope experientiae acquirimus.

Philosophica praeterea disciplina vel est *Theoretica*, vel *Practica*. Prior tantum inquirat in illud, quod verum est; posterior docet quid agendum sit, quidve omittendum; normam itaque actionibus nostris praescribit.

(54) l. l. p. 277. sqq. (55) Uti enim rationem per se subsistere iam supra dixi, ita etiam idem valet de huius lege, deque actionibus vere sic dictis, id est, liberis, quae non ut phaenomena a se invicem pendent, in infinitum progredientes.

Patet igitur; *Ethices* disciplinam philosophicam esse; estque praeterea disciplina practica, ea nempe, quae hominum actionibus normam praescribit, et quomodo hae institui debeant docet; quaeque igitur ad libertatis humanae usum referri debet.

Suam habet originem ex *Ratione*, et quidem ex *Practica ratione*, ex eo scilicet principio, quo haec legem moralem hominum actionibus supremam praescribit.

Officia obiecta sunt *Ethices*; docet quippe ea, quae ex lege morali homini sunt facienda ac omittenda: docet, quare haec, nempe ob legis reverentiam, sint facienda, quia; nisi ob hanc legis reverentiam peracta sint officia, forte legi possunt convenire, bonae tamen propterea actiones dici non debent. Internae itaque libertatis nostrae usum *Ethica* determinat, et hanc ad legis praescriptum flectere iubet; nisi enim voluntas legi obtemperandi accedat, nulla est virtus.

In *virtute* itaque positus est *Ethices* finis, sive, quod idem est, in *Moralitate*, id est, ut officia nostra impleamus, nullo extraneo quevis affectu moti, sed ob solam legis, sive *Rationis* practicae dictaminis venerationem; ut igitur *boni* simus.

C A P U T II.

De Iuris Naturae fonte, obiecto, et fine.

Quod in superiori capite facere conatus fui, nempe disciplinae *Ethices* fontem, obiectam, et finem constituere ex notione virtutis, sive moralitatis exposita, illud idem in hoc capite mihi videtur faciendum; debemus enim ipsius *Iuris* notionis originem quaerere, illius naturam constituere, ut exinde pateat, quid sit disciplina, quae de iure sollicita est, quamque iuris naturae disciplinae nam vocant Doctores; quisnam sit huius disciplinae fons, quidnam obiectum, quis denique finis.

Sentiunt omnes homines, quovis loco positi, quamvis terrarum orbis partem inhabitantes, sibi esse iura quaedam, eaque immutabilia, aeterna, necessaria; quae non acquisiverunt ex communi hominum, populorumve sensione, non ex legibus civilibus, non ex moribus, non ex usu; quae non alia hic sunt, alia alio loco; verum quae a Natura matre simul cum existentia et ratione acceperunt, quae evelli nequeunt, quae neque abrogari, neque praescriptione amitti, neque obsolescere possunt. Sentiunt sibi integrum esse, quasdam instituire actiones remoto omni arbitrio alieno, ita ut adversus quemvis adversarium, has actiones instituire prohibentem, vi et armis uti liceat; simul autem sentiunt alias sibi non licere actiones, nisi velut aliorum repressionem timore; sentiunt sibi esse impostam quamdam necessitatem ne alios turbent in suis viribus suo arbitrio adhibendis ad consilia ipsis proposita. Hinc ius, hinc obligatio. At vero philosophi non est, hominem contemplantis, in illiusque naturam inquirentis, hic subsistere, atque, confusis his ceterorum hominum notionibus, omnem rem absolutam putare. Debet enim in harum notionum originem ac fontem inquirere, illas stabilire, definire, veros illis ponere limites, atque summas regulas, quibus regantur, quibusque subiiciantur, constituere.

Ad duas classes referri solent (56) sententiae virorum doctorum, qui, Cri-

(56) Conf. FEUERBACH, l. l. p. 98, sqq. Vir ampl. SYPKEN 3, in tractatu, over de betrekking

ticae philosophiae rationes non secuti, alio modo iuris notionem constituere voluerunt. Alii nimirum contendunt omne ius oriri ex moralitatis principio, ita ut ad ius pertineat actio, quam lex moralis nec iubet, nec vetat. Alii, ius etiam ex moralitatis principio derivantes, ex existentia obligationis in subiecto obligato perfectae concludunt ad iuris existentiam in eo, cui obligatio praestanda est.

I. Contra priorem theoriam, quam *absolutam* vocant *deductionem*, plura quidem moveri possunt, et inprimis ab acutissimo FEUERBACHIO mota sunt, dubia. Breviter mihi autem sufficiat proposuisse, hanc iuris deductionem non esse admittendam, si ad eas notiones ducat, quae communi hominum de iure sententiae atque conscientiae ita repugnant, ut hac, a ratione data, solutione problematis: „quid est ius? unde descendit?“ contentus esse non possit homo; quando scilicet quis contendere vellet, has itaque a communi hominum mente ortas notiones iuris falsas esse, *quia ex hac deductione absoluta non profluunt*; omnino hoc eo non probari respondeo. Aliquid efficeret obiectio, si huius deductionis veritas antea probata esset; sed cum hoc locum non habeat, nihil probat obiectio, nisi hasce iuris notiones per hanc viam inveniri non posse, et igitur aliam esse quaerendam, qua ad aliam solutionem quaestionum de iure pervenire possumus, quae omnes continet notiones, a vulgari hominum opinione in iuris theoria requisitas. Hanc autem viam quaerere deinde e nostra erit.

Ex hac vero absoluta iuris deductione non sequitur

1. Homini esse ~~curae~~ externa, id est, ea, quae actiones, legi morali contrarias, materiam habent. (57)
2. Hominem iure suo uti posse et non posse, sive illi esse libertatem iuridicam.
3. Hominem posse alium cogere ne ab hoc ius suum laedatur. De singulis pauca monebo.

Iura

tuschen de zedekunde en het natuurregt, qui existat in het Kritisch Magazyn, V Deel, III St. p. 337, sqq. Consult. G. H. DULLERT, in dis. inaug. de officii et iuris notionibus, recte inter se distinguendis, Hard. 1810. p. 24. Ne autem quovis fere loco hos laudem, sufficiat hic monuisse, me Auctorum illorum, (quibus et add. consult. SIBR. GRATAMA, in l. dis. de iure ac iniuria, Cap. I—V,) operibus plurimum in hoc et sequenti Capite elaborando usum fuisse. (57) FEUERBACH, l. l. pag. 289.

1. Tristissimum illud est, omnibusque notum vetus proverbium: „ summum
ius, summa saepe iniuria.” Omnes enim homines contendunt, sana ducti ra-
tione, sibi ius esse quaedam agere, quae legibus moralibus plane contraria
sunt; credunt iuste se agere, quando misero, fame extincto, panem roganti,
suum denegant auxilium; quando debiterem, fortuna adversa persecutum, ho-
nestum tamen, sed debito solvendo imparem, in carcerem proiciunt, donec
ultimum solvat debiti obolum. In his autem casibus non illud facimus,
quod lege morali permittitur; vehementer vero contra huius legis praescri-
ptam peccamus: ergo aut iniuste agimus, aut iuris deductio absoluta iuris no-
tioni constituendae non valet. Quis vero prius contendat? itaque posterioris
verum sit necesse est.

2. Duplici modo a lege morali aliquid permittitur: aut enim *absolute* ali-
quid permittit, aut *relative*, ita observante Cl. КРУБАВАСКИО. Has permittit
absolute actiones, quae lege morali non comprehenduntur, quae facere, quae-
que omittere possumus sine legis moralis violatione. Illas vero actiones,
quas lex moralis faciendas praescribit, illas simul *relative* permittit, quia ex
officii existentia oriuntur; hoc modo: „ omne id, quod lex iubet, permittit.”
Ex absoluta vero iuris deductione ius habemus ad officia nostra implenda, quia
lex moralis hoc iubet, ideoque, relative scilicet, permittit. Recte hoc quidem;
at vero in iuris notione omnino requiritur, ut nobis liceat iure nostro uti, et
non uti, prouti nobis placeat. Iuribus nostris facultatem acquirimus agendi;
non vero lex nobis praescribitur, quam, uti in lege morali, sequi oportet.
Haec iure suo utendi et non utendi libertas ex iuris deductione absoluta non
obtinetur; siue quorum materies est officium, quia in his iuris non-usus, id est,
officii neglectus, lege morali non permittitur. Sic lex moralis iubet ut vitam
meam conservem, ornem, perficiam; igitur hoc permittit, adeoque ut hoc fa-
ciam ius habeo; sed non habeo ut omittam, quia hanc omissionem non finit
lex moralis; id est, quando ego malim meas animi dotes non excolere, vitam-
que agere rudem, incultam, male non tantum, sed et iniuste ago, secundum
absolutae iuris deductionis defensores. Aut hoc verum est, aut, quod verius
videtur, absoluta iuris deductio iuris notioni non respondet.

3. Ut iuris notioni infit facultas alios cogendi ne ius nostrum laedant, ita
quidem requiritur, ut tota iuris notio sine hac facultate cogendi evanescat.

Quid vero, si ex hac iuris deductione absoluta probari nequeat huius cogendi facultatis existentia, saltem in nonnullis casibus. Permittuntur absolute illae actiones, quas lex moralis nec iubet, nec vetat, quasque igitur non comprehendit; itaque ius habemus, secundum huius deductionis defensores, ut has actiones instituamus; adeoque ut per vim adversarium, in huius iuris exercitio nos turbantem, repellamus; et haec actio indifferens esset, lege morali non comprehensa? „ein Mensch,” egregie inquit FEUERBACHIVS (58) „wird nach Naturgesetzen behandelt! ein freyes Wesen wird durch eine äusere Ursache bestimmt! wie kann dies ausserhalb dem Gebiet des Sittengesetzes liegen? wie kann es dem Sittengesetz, um mich eines sinnlichen Ausdrucks zu bedienen, gleichgültig seyn, ob ein vernünftiges Wesen als Sache, oder als Person behandelt werde?” Quid ergo? Ius habeo ad actionem indifferenter instituendam; ergo etiam ius cogendi, ne alter me in huius iuris exercitio turbet. Sed si hanc coactionem in casu quodam vetet lex moralis? si v. c. mihi placeat actionem quamdam nullius quidem momenti instituere, alter vero quodam facto prohibeat ne illam instituam; an ad vim et arma mihi statim recurrendum est, atque impetum in adversarium faciam, unde forte disensus multi, vulnera et caedes? aut potius iram compescam, et cedam? Iubet posterius lex moralis; vim hic prohibet; nec igitur ius habeo vi utendi; manebitne hoc casu ius actionem instituendi, quia hanc permittit lex moralis, atque evanescet facultas cogendi, quia coactionem impedit eadem illa lex?

Hisce argumentis pro instituti ratione factis mihi videor dixisse adversus absolutam iuris ex lege morali deductionem, ac probasse, hanc non sufficere responsioni ad quaestiones de iuris fonte et notione.

II. Alia est theoria eorum scriptorum, qui ad iuris existentiam in subiecto quodam concludunt ex obligatione in alio subiecto existente, sive, uti quidam dicunt, ex alterius officio perfecto. Scilicet omnia officia ex moralitatis lege derivantes ea dividunt in *perfecta* et *imperfecta*; nos vero obligationis vocabulo utimur, quod accuratius illam denotat necessitatem moralem alterius ius non laedendi, cum officii vox pertineat ad disciplinam Ethices. Haec theoria dicitur relativa iuris deductio, quia secundum eam ius non existit, nisi ex re-

(58) l. l. pag. 124.

latione alterius obligationis deductum. Dicunt nempe huius theoriae defensores, mihi ius competere, quia alteri obligatio incumbit; meum ius itaque ex alterius officio promanare, et iuris adeo notionem non per se et absolute subsistere, sed ab obligatione, quasi a conditione, pendere. Impugnatur haec sententia a nonnullis eo argumento, quod omne ius non ex adverso habeat obligationem; quod quidem argumentum mihi non admittendum videtur, cum potius videatur omnino cuivis iuri obligatio opposita esse. Hic error vero aliorum auctorum ex eo videtur originem duxisse, quod de obligatione tantum cogitarunt particulari, positiva; ad obligationem vero generalem negativam non attenderunt, et praeterea obligationis et officii notiones commiscuerunt. Sed misso hoc, ex absentia obligationis deducto, argumento, alia sunt, quae huic iuris derivandi rationi opponuntur argumenta. Rogo ego, unde cognoscere possumus, an alicui incumbat quaedam obligatio, sive quoddam officium perfectum? quaenam sit differentia obligationem inter ac officium? Respondetur, quod quis ad priorem implendam cogi poterit; ut posteriori satisfaciatur non item. Iterum autem rogo, quaenam nota sit, unde dignoscere queam an aliquis mihi ita aliquid debeat, ut, nisi faciat, eum cogere possim? Huic autem quaestioni plene respondere non posse huius deductionis defensores mihi videntur, nisi ad ipsam iuris in me positi notionem velint recurrere: nam si, quod plurimi quidem respondent, quis dicat, obligationes posse deduci ex quodam principio, veluti: „neminem laede, suum cuique tribue, neminis perfectiones „minue,” et similia, eadem est quaestio, quibusnam actionibus aliquem laedamus, quidnam suum cuiusque sit.

Alia eaque gravissima difficultas huic deductioni obstare videtur, cum non praebet absolutam, universalem, ac per se subsistentem iuris notionem, qualis tamen omnino ad iuris disciplinam constituendam requiritur; nam ex alterius quidem obligatione iuris notio constitui non potest, quae suo proprio sustentata sit fundamento, quaeque per se subsistat. At vero, inquis, forte haec iuris notio per se revera non subsistere potest; merum est hominum figmentum, atque adeo haec obiectio contra iuris relativam deductionem nil efficit! Scilicet nihil efficeret, si aliunde probari posset hanc deductionem veram esse; at nunc omnino aliquid probat; hoc nimirum, alio modo videndum esse ut iuris notionem absolutam constituamus; quod an fieri possit iam nunc periculum faciamus.

Ille est hominis, in relatione ad alios homines positi; natura, ut plura sibi assequenda possit proponere consilia, aliorum consiliis quam maxime opposita, ita ut igitur⁵⁹ diversissimi fines, quos sibi proponunt homines, sibi invicem obstant, neque omnes possint obtineri; possunt homines sibi vitam, famae ac existimationis laudem, bona, libertatem eripere, imo haec et similia quam plurimum, eheu! committunt, ut suis, quae putant, commodis consulant. Sed ecce, obiciis, lex est moralis, quae haec omnia vetat; quid alio opus tibi est contra prava hominum consilia praesidio? Imo vero alio praesidio opus est; haec omnia quidem vetat lex moralis ut alter faciat; ita tamen vetat, ut si alter nihilominus facere velit, mihi non ex lege morali concedatur facultas prohibendi ne faciat, quia penes ipsum tantum iudicium est, anne officia implere velit, an minus. Num igitur hunc humanarum actionum inter se disensum ac repugnantiam, qua se invicem tollunt, ferre potest ratio nostra? „*sum, ut ne sim; sum, ut ne sit alter?*” inquit consult. GRATAMA (59) „haec, nemo credat, qui humano sensu, humano intellectu praeditus rectae rationis, utitur lumine.” Nostrae igitur est rationis, ad summum, ad unitatem quam maximam perpetuo ententis, quae repugnantiam plane non admittit, eamque vi suae formae tollere debet; rationis, inquam, est, principium, quo haec diversorum hominum propositorum disensus tollitur, quoddam dare. Quod si cogitamus, et ad rationis formam respicimus, concludamus necesse est, rationem tale nobis proponere debere principium, quo diversa hominum proposita sibi invicem non obstant, salva libertate morali, qua quisque officiis satisfacere potest, et non potest, prouti velit; tale principium, quo cuivis homini *aequaliter integrum maneat, suis officiis satisfacere, aut minus, remoto omni arbitrio alieno;* tale principium, quo cuivis homini liceat sua sibi proponere consilia, et ad ea tendere, ita tamen ut et alius, quae sibi proponat, consilia pariter assequi possit. Iam ex his veluti sponte profluit, illud principium, five hanc legem, deductam ex necessaria ac rationali custodia humanae societatis; ex omnium aequali libertate, ex necessaria hominum coexistentia, ex omnium hominum aequalitate, quae enim omnia ad eadem tandem redire videntur, (66)

(59) l. l. pag. 124. (60) V. Cl. GRATAMA, Regtsgel. Mag. I, p. 26, et conf. s. GRATAMA, in l. dis. p. 124. convenientiam inter GROTII et Criticae philosophiae doctrinam de primo iu-

hoc modo posse enuntiari; „agē externe ita, ut liber usus arbitrii tui cum libertate cuiusque possit ex lege universalī constare.” (61) Nihil difficultatis huius enuntiationis sensus habere videtur, modo teneamus, hic intelligi per *libertatem cuiusque ex lege universalī*, quod illa libertas determinetur ac circumscribatur lege universalī, ita ut omnibus sit eadem, adeoque oriatur ex omnium hominum aequalitate; idem igitur, ni fallor, fere fuisset, dixisse: „cum „aequabili, sive ex omnium aequalitate orta cuiusque libertate,” vel etiam „ob communem omnium aequalitatem,” quippe quae omnis iuris fons est et fundamentum. Omnis actio, secundum hoc principium, iusta est, si illa nemini laeditur libertas; si, quando omnes idem fecissent homines, singuli suam aequabilem libertatem salvam haberent, neque in ea laederentur; iniusta contra actio est, qua mea libertas, quam cum omnibus hominibus communem habeo, ab alio offenditur.

Hoc modo proponimus iuris deductionem, quae, si vera habenda sit, omnes debet continere notas, quae ad iuris notionem constituendam requiruntur; breviter igitur hasce notas iam nunc proponamus, atque an nostra iuris deductio eas contineat videamus.

1. Primo autem quaeritur iuris notio per se subsistens, universalis, necessaria, immutabilis. Haec autem e propofita deductione profluunt. Pendet haec deductio a nulla quavis extranea notione, a nulla conditione, sed per se ex ipsa rationis natura oritur; nec tamen a lege morali quovis omnino modo iuris determinatur indoles, sed ratio, singulari operatione, cum summum actionum externarum omnium omnino hominum requirat et flagitet consensum, illud iuris principium, ut inde hic consensus existat, efformat. Est porro universalis ac necessaria, cum omnibus omnino naturis rationalibus ac liberis eadem illa sit atque aequalis, quam ita cum ratione, qua omnes gaudent homines, fit coniuncta, ut ab ea evelli nequeat; verum ex ipsa rationis vi existat, adeoque non possit non cogitari universalis ac necessaria. Itaque etiam debet esse immutabilis iuris notio. Est enim rationis indoles immutabilis,

ris principio de industria exposuerunt. et GROTIJ laudes in stabilienda iuris naturae disciplina separata vindicarunt, quare et ego de GROTIJ paulo fuffus in introductione, § V, egi. (61) KANT, initia Metaphysic. iuris doctrinae; Operum tom. IV, pag. 570.

aeterna, quae non a tempore, non a loco, non ab externis rerum rationibus pendet; quae diffusa in omnes, ubivis una est ac eadem, nec igitur alia hic potest dare principia, alia illic; quae vero perpetuo sibi constare debet, nullamque mutationem pati potest.

2. Ius proprium sit homini, sed tantum in relatione ad alios homines posito, atque non nisi ad actiones externas pertineat. Ex proposito autem iuris principio patet, non aliam esse posse hanc iuris notionem; describitur enim cuiuscumque ius aliorum aequali iure sive libertate; ergo de iure quaestio numquam esse potest, nisi quando duo pluresve homines una existunt, quorum cuiusque libertas aequali aliorum libertate determinatur. Homini, solum in insula deserta, in navi errantis nullum est ius, quia suae actiones non aliorum determinantur libertate, cum ad aliorum libertatem non referri possint; et ita etiam tantum pertinet ius ad actiones externas; interna enim actione aliorum libertas agendi laedi non potest. Quo fine, quo consilio motus ego actionem quamdam instituerem, ad aliorum arbitrium liberum nil pertinet.

3. Notio iuris, quae liberas tantum respicit actiones, requiritur. Et haec iuris notio in proposito deductione invenitur: „age externe ita, ut” etc. Hoc modo proponitur summum iuris principium, quod igitur, nisi ad actiones liberas pertinens, cogitari nequit. In iis omnibus casibus, in quibus homo rei instar, extrinsecus legi causalitatis subiicitur, atque ex naturae legibus, sine suae libertatis usu, determinatur, non potest dici aliorum libertatem offendere suis actionibus, quia instrumenti in modum determinatur; adeoque nulla de iure quaestio est.

4. Notio iuris postulat, secundum quam externa homo habeat iura, si-
ne, qua possit actiones instituire legi morali contrarias, attamen iustas. Etiam haec iuris nota existit ex deductione iuris, quam exposui; etenim actio mea, utut inhonesta, utut turpis, modo consistere possit cum cuiusque libertate ex lege universali, iusta est dicenda. Sic quando mendico panem denegem, quando homini in aquam delapso auxilium, quo vitam conservet, ubi possum, non praebeam, eumque perire sinam, utut turpis, imo inhumana sit actio, iusta manet; quia mei arbitrii usus potest consistere cum aliorum omnium libertate aequali. Quando ego vitae pertaesus me illa privari cupio, certe haec actio morali legi contraria, nullius laedit libertatem, adeoque iusta est.

5. Notioni iuris insit cogendi facultas, id est, ex iure, quod habeo, simul

debet mihi competere ius, illud ius meum vi vindicandi contra omnium omnino aliorum actiones, quibus mei arbitrii liberum usum ex lege universali impedire conantur, sive quibus ius meum laedunt. Haec cogendi facultas sequitur ex nostra deductione; quia si quaevis actio iusta est, quae cum omnium aliorum aequali libertate potest consistere, patet iustam esse actionem, qua vi alium repelle, ne me impediatur in mei arbitrii libero usu ex lege universali; vis enim illa cum omnium aequali libertate constare potest. Si alter libertate sua ita in me utatur, ut excedat limites aequales cuiusque libertatis, adeoque in me iniuriam committat, hunc si ego repellam, atque in suae libertatis, quae cum omnium libertate consistere potest, fines reiiciam, hac vi non alterius cuiusvis libertatem ex lege universali laedo, adeoque iusta est. (62) Sic singulis hominibus certus quasi est descriptus orbis, intra quem libere agere possunt; qui omnium simili libertatis orbe determinatur atque circumscribitur, et in quo nullius arbitrium admittere tenentur, in quo se vi tueri illis licet, quem vero egredi iniuria est, ita ut intra eum repelli a laeso, cuius orbem iuris ingressi sunt, possint. Ius, ut metaphora acuta exprimam, oritur ex ponderum aequalitate, atque obligatio quaeque a iure repetenda oritur propter disruptum virium aequilibrium. Ius cogendi eodem fere argumentationis genere homini vindicatur, quo existentia aequilibrii a ponderum aequalitate in physicis; aut enim negato aequilibrio, pondera sunt haud aequalia, quod repugnat conceptis; aut aequalia pondera simul habenda sunt inaequalia, quod est absurdum.

6. Existit tandem ex hac iuris notione libertas iuridica; id est, quis pro uti velit, iuribus suis uti potest, et non potest; usus enim arbitrii sui liber cuivis conceditur, ut limitetur tantum aliorum aequali libertate; non usu autem meae libertatis alterius libertatem neque offendere; nemo igitur est, cui rationes reddam de modo, quo intra iuris mei veluti orbem, seu sphaeram, circumvagor. Est mihi ius a debitore debitum exigendi; at vero si nolim exigere, illud autem ei remittam, nemo est qui iniuriae audeat me postulare.

Ex hac ergo iuris deductione omnes illas iuris acquirivimus notas, quae ei inesse a sana hominum mente iam ex suis de iure notionibus dicebantur. Videtur itaque haec deductio plene satisfacere omnibus illis requisitis, quae ad

(62) KANT, l. l. p. 570.

iuris notionem constituendam requirebantur, eamque veram, esse non sine aliquo fundamento credere nobis, ni fallor, licet.

Posito itaque iuris principio, sive lege: „age externe ita, ut liber usus arbitrii tui cum libertate cuiusque possit ex lege universali constare;” ex hac lege sequitur, *ius* esse, sensu qualitatis actionis qua iusta est, *complexum conditionum, quibus arbitrium unius cum alterius arbitrio queat ex lege libertatis universali conciliari.* (63) Ius autem, sensu facultatis respectu ad ius habentem, „facultas” est „in homine, actiones suas externas pro suo arbitrio instituendi, modo consistere possint cum alterius arbitrio ex lege universali.” Quando igitur dicimus actionem aliquam iustam esse, significamus illi inesse omnes conditiones, quibus ex arbitrio unius queat edita actio conciliari cum alterius arbitrio ex lege libertatis universali. Quando dicimus, homo ius habet ad hanc illamve actionem instituendam, intelligimus, illi facultatem esse talem actionem instituendi, quia ille arbitrii sui usus consistere potest cum alterius arbitrio ex lege universali.

Hac ratione, aliorum vestigia secutus, iuris notio deducenda, exponenda atque explicanda mihi videbatur. De iuris naturae disciplina nunc est videndum.

Recentiores nonnulli philosophi per *iuris naturae* scientiam, doctrinam intelligunt iurium, quae *singulis hominibus* natura tribuit, illamque adeo distinguunt a *iuris naturalis Gentium*, ac *iuris naturalis socialis* doctrinis; quarum prior iura doceat *inter singulas Gentes* secundum legem iusti universalem obtinentia; posterior iura naturalia, aut quae *summum Imperantem inter in civitate ac cives*, qua tales, locum habent, aut iura naturalia *singularum societatum*, veluti *societatis matrimonialis, domesticae, sive familiae, similiarum* que. Illam autem doctrinam, quae iusti naturam in genere exponit, in illius fontem inquirit, principia ac legem iusti universalem exponit, *metaphysicam juris*, vel *philosophiam iuris*, vel etiam simpliciter *iuris doctrinam* appellant; hanc autem alii Doctores iuris universalis disciplinam vocant *ius naturae*, seu doctrinam eius, quod a natura iustum est.

In proposita quaestione *iuris naturae* mentio occurrit; ita autem occurrit, ut dubii esse non diu possumus, quin hic intelligatur universa iuris disciplina

(63) KANT, l. l. p. 569.

eius, quod a natura est. Totus enim quaestionis sensus vetat, eam nisi generaliter intelligere, cum pateat differentiam quaeri universi iuris doctrinam inter et Ethicam. Quid enim attinuisset differentiam quaerere unam iuris naturalis partem inter ac Ethicam, cum aut omnes iuris naturalis partes, cum Ethica cohaerere debeant, aut nulla ab ea pendeat. De iuris naturae igitur disciplina locutus, universam me intelligere iuris naturalis doctrinam monendum duxi.

Est autem iuris naturae disciplina philosophica, eaque practica doctrina, quippe quae oritur ex ipsis rationis principiis, et quidem ex principio, quod actionum nostrarum continet legem. Oritur autem, uti vidimus, ex speciali principio, quod non a quavis alia lege, veluti a conditione, pendet, verum per se et absolute subsistit, quodque non nisi externis hominum actionibus praescribitur. Ratio hanc legem ita praescribit, ut non necesse habeat homo illam sibi sequendam proponere ob ipsius legis reverentiam; sed ut ab iniuria aliis inferenda immunis sit, sufficit modo secundum illam suae sint compositae actiones. KANTII verba sunt (64): „non potest postulari, ut hoc principium normarum, omnium aeternum in norma sit, hoc est, ut mihi istud pro norma actionum, mearum constituam; quisque enim liber esse potest, quamquam libertatis illi, me minime mea interesset, vel animo illi quidquam detrahere vellem, si modo actione mea externa ei non officiam.” Si itaque utilitatis, felicitatis, pacis studio, metuve poenae motus iuste agam, legi iusti universali a me satisfactum est, cum nihil nisi externarum actionum convenientiam cum lege, sive legalitatem requirat. Est igitur ratio practica, singulari vero, a lege morali diversa, principio, iuris disciplinae fons. F

Iura sunt obiecta disciplinae iuris naturae, sive doceat ius naturae, quatenam hominum actiones consistere possint cum arbitrio alterius ex lege libertatis universali; sive doceat ius naturae, quatenam sit complexus conditionum, quibus arbitrium unius possit consistere cum arbitrio alterius secundum legem libertatis universalem.

Legalitas, sive convenientia externarum hominum actionum cum lege iuris universali; finis est iuris naturae. Non enim curat haec disciplina, quo con-

(64) l. l. p. 570.

F. Humboldt. l. l. S. 242. Seqq.

filio moti iuste agant homines; sed postulat tantum ut *iuste*, id est, *secundum*, non vero *propter* legem institutae sint actiones.

Haec autem, quae de fonte, obiecto et fine iuris naturae disciplinae dixi, ex praecedentibus sponte sequi videntur; ita ut de his satius disputasse, esset repetiisse quae iam sunt dicta.

C A P U T III.

De discrimine inter Iuris Naturae et Ethices disciplinas.

Per totam scriptionem iam consideravimus iuris naturae atque Ethices disciplinas tamquam inter se diversas; atque igitur quodammodo de differentia inter ius naturae et Ethicam sententiam iam proposuimus. Hanc autem sententiam, facta comparatione inter fontes, obiecta et fines utriusque disciplinae, stabilire consilium est huius capituli.

I. De diversa forma, qua utraque disciplina ex ratione derivatur:

Supra diximus omnes disciplinas, praeter mathematicas, quarum hoc loco ratio habenda non est, ratione fontis sive originis in duas posse dividi classes; altera est *Philosophicarum*, *Historicarum* disciplinarum altera; quarum quae ad priorem classem pertinent, ex ipsius rationis principiis sive notionibus sunt profectae; quae ad posteriorem pertinent classem, obiecta ab experientia proposita tantummodo curant. Diximus praeterea philosophicas disciplinas esse vel *Theoreticas* vel *Practicas*; quarum priores tantummodo id investigant, quod verum est; posteriores docent quid agendum.

Quod ergo ad iuris naturae et Ethices disciplinas attinet, eas esse philosophicas disciplinas, iam sponte patet. Altera alteri affinis est fonte, nimirum ratione, quae regulam humanis praescribit actionibus. Ambae igitur disciplinae philosophicae sunt, caeque practicae.

Diversimode attamen iuris naturae atque Ethices disciplinae a ratione proficiuntur, cum diversa admodum sint, ad quae ratio sese accommodare habet necesse.

Ethices summum principium opus est propter diversitatem finium, in hominis natura conspiciendorum, quos homo quidem sibi proponit assequendos, ut tamen eos assequi omnes non valeat; iubet rationalis natura ut probus sit atque honestus; sensus impellunt ad voluptatem, ad illud felicitatis genus quod hominis studio sui (*φιλανθρωπία* dicunt) circumscribitur. Ex hoc propositorum

*Ex hoc capite de obligatione ad caput I cf. Disputatio Specimen Philosophico
Iuridicum Inaugurale mensuris de obligatione "de obligatione, imprimis
moralis", Groningae 1821.*

inter se disensu atque repugnantia pugna existit in ipso homine; quam sustulit ratio practica, iubendo: „age ex norma, quae eadem poscit ut lex universalis, salis locum habere;” promanat itaque summum Ethices principium ex rationis auctoritate *ad internam hominis libertatem* sive *voluntatem* sese applicante.

Sed non tantum in ipso homine pugna est naturam rationalem inter ac sensualem, verum homo, qui existit in hoc terrarum orbe cum aliis hominibus sibi similibus, plurima sibi proponere potest consilia, quibus obtinendis impediret quo minus alii homines sua poscent attingere proposita. Hanc tollit repugnantiam inter diversa hominum proposita ratio, quae, sese ad *externam hominum libertatem*, ad externas actiones applicando, iubet, ne quis suo libertatis usu aliorum minuat aut tollat libertatem ex lege universalis, sive quae hanc proponit legem externae libertatis: „age externe ita, ut liber usus arbitrii tui cum libertate cuiusque possit ex lege universalis constare.”

Duplici igitur modo diversae inter se sunt notiones, e quibus promanant Ethices ac iuris naturae disciplinae; nempe,

1. Quod Ethices disciplina descendat a ratione, ad internam agendi libertatem, sive ad voluntatem applicata; cum iuris naturae notio profecta sit ex notione libertatis externae, sive liberi arbitrii cuiusque hominis, quod consistere possit cum aliorum arbitrio libero ex lege universalis.

2. Quod ratio igitur aliud Ethices summum praebeat principium, aliud iuris naturae principium. Oritur ex priori officium, id est, necessitas agendi moralis, cui obedire homo omnino ex rationis practicae lege tenetur, cui tamen, si male agere velit, ~~vi libertatis moralis et non~~ obedire potest. Ex posteriori oritur ius, id est, facultas pro suo arbitrio agendi, qua iuste semper agit, modo aliorum aequalem observet iuris facultatem, sive liberum arbitrium ex lege libertatis universalis, qua igitur non certa determinataque actio ei facienda proponitur, uti ex virtutis lege; sed qua acquirit liberum inter quasdam actiones, quarum nulla alterius offendit libertatem, eligendi arbitrium.

II. De Iuris Naturae ac Ethices disciplinarum objectis, inter se diversis.

Iuris naturae disciplinae objectum faciunt *Iura*; Ethices *Officia*, in horum igitur differentiam inquirendum est, ut de utriusque disciplinae differentia quoad objectam indicare possimus. Notio tum officii tum iuris universalis necessaria

est ex ipsius rationis principiis; licet diverso modo deducta. Ius et officium tantum pertinent ad homines libere agentes, sive ad naturas racionales liberas. In eo igitur inter se habent convenientiam quamdam; sed licet in nonnullis convenire possint; ita tamen inter se sunt diversae iuris et officii notiones, ut obiecta iuris naturae et Ethices omnino diversa constituant.

1. Prima differentia inter officium et ius in eo spectatur, quod cum prius locum habeat in homine per se et absolute spectato, posterius non obtineat nisi quando hominem cogitamus in relatione ad alios homines, sive naturas liberas racionales sibi similes. In officio enim ex lege rationis practicae homo iubetur quid illi sit faciendum omittendumve; et hoc rationis practicae dictamen solum subiecti voluntati praescriptum, de aliorum hominum arbitrio aut voluntate nihil statuit, neque ad hanc respicit; in iure contra, ratio practica homini principium praescribit, secundum quod suas instituat actiones, ne cum aliorum hominum propositis in pugnam incidat; ergo hominum actiones iuris principio non subsunt, nisi quoad ad alios homines relatae sunt. Si itaque hominem cogitemus ab omni cum hominibus societate remotum, officia manent; tollitur ius.

2. Alia iam sponte ex proposita differentia sequitur officii et iuris inter se diversitas. Iuri scilicet, id est, facultati actionem quamdam pro suo arbitrio instituendi, semper respondet obligatio, aut positiva, aut negativa, id est, necessitas moralis, uni pluribusve hominibus imposita; ad aliquid aut faciendam aut emittendam; ius est enim facultas actiones externas pro suo arbitrio ex lege universali libero instituendi, unde omnino aliis hominibus debet oriri necessitas, sive obligatio, me in arbitrio mei usum non turbandi. Sic ex pacto cum altero celebrato, quo sese ad aliquid mihi praestandum obstrinxit, mihi nascitur ius illud petendi, illi vero obligatio, eaque positiva, id quod debet praestandi. Ex alio quodam iure, veluti ex eo, quo mihi liceat animi mei dotes excolere; aliis omnibus hominibus existit obligatio, eaque negativa, meum in hac actione arbitrium non limitandi. Hoc in officio, sive in necessitate morali legi rationis practicae obtemperandi, non ita obtinet. Nullum est vinculum meum officium inter et alterius officium, aut obligationem, aut ius; officii mei notio per se libera ab omni cum altero homine relatione subsistit.

3. Tertia oritur inter officia et intra differentia ex facultate cogendi, quae posterioribus inest, prioribus non item. Ex iure, ex facultate suae praesue

arbitrio instituti actiones sequitur facultas, quae ius habenti est, ut omne impedimentum sui arbitrii usui oppositum arceat atque repellat, sive ut alios homines cogat, suis erga ipsum obligationibus, aut positivis, aut negativis, satisfaciendi. Tale quid in officio, sive morali necessitate legi rationis practicae obediendi, cogitari nequit; cum enim officium per se subsistat, nullo aliorum hominum habito respectu, de aliis hominibus cogendis nulla oritur quaestio. „Sed,” inquis, „possum alios homines cogere, ne mihi in officiis meis implendis impedimento sint, ideoque officiis etiam inest cogendi facultas:” erge non vides, te nunc officii notionem ad iuris facultatem applicasse, et officium fecisse iuris materiem, ita ut cogendi facultas oriatur ex iure, non ex officio? Ius habes ut officium impleas, et ex hoc iure facultatem alius cogendi ne tibi officio satisfaciendi oblit. Iuri itaque inest cogendi facultas, quae ad officium nil pertinet.

4. Quarta differentia inter iura et officia in eo est, quod ad posteriora implenda homo omnino et semper teneatur, sive, ex iis necessitas quaedam agendi illi existat; ex prioribus non item. Lex virtutis hominem iubet et obligat ut officia sua impleat; cathedrica voce imperat lex, atque hominis voluntatem perpetuo obstringit, salva tamen libertate morali, qua a lege virtutis recedere potest; sed tunc non amplius officio satisfacit. Quando autem homo legi virtutis obtemperare velit, nulla amplius ei inter duas pluresve actiones oppositas, tamen bonas, est electio; unam iubet lex faciendam. In iure secus est; lex iuris certum homini praebet agendi ambitum, in quo pro suo arbitrio potest circumvagari; sive iure suo utatur, sive non utatur, sive hanc actionem, sive aliam velit instituire, iuxta quaevis est actio, quae potest consistere cum cuiusque libertate ex lege universali.

5. Quinta haec observatur differentia; si officiis satisfacere velimus, non tantum requiritur, ut, quod dicunt, materies officii, sive ipsa actio conveniat cum lege moralitatis, verum etiam ut officio satisfaciamus ob solam legis reverentiam, nullo alio consilio moti; cum in iure simpliciter actionis convenientia cum lege requiratur. Lex moralitatis legem praescribit voluntati, et suam vim obligandi non ex aliquo consilio homini proposito petit, sed ex se ipsa; officio igitur satisfaciendum est propter ipsum officium, et actio, quae legi moralitatis forte convenit, si non propter ipsius legis venerationem suscepta sit, bona non est, et hoc casu non dicere possumus nos officio satisfacisse. In iu-

re contra tantummodo externa requiritur convenientia cum lege, sive, quod vocant, legalitas, ita ut quaevis actio quovis consilio suscepta, modo externe cum iuris lege conveniat, iusta fit.

6. Tandem propono differentiam, quae ex praecedente sponte sequitur, et characteristicam praecipue efficit notam, qua officium a iure distinguitur; hanc scilicet, quod cum iuris lex tantum respiciat libertatem externam, sive actiones externas, moralitatis lex contra ad internam tantum pertinet libertatem. Iuris legi tantum subsunt actiones externae, sive externus libertatis usus; omnis itaque actio, quae externa non est, ad ius non potest pertinere. Officium refertur ad voluntatem, ad internum libertatis usum; omnis igitur actio, sive interna fit, sive externa, ex voluntate profecta, ad officia debet pertinere. Inde iuri constituitur forum externum, seu iuridicum, id est, de actionum humanarum externarum legalitate quaeritur; de officio interna tantum est diiudicatio, id est, determinatur, an decretum voluntatis, ex quo actio est profecta, conveniat cum lege moralitatis.

Hisce notis officii et iuris notiones videntur inter se distingui debere, atque ad quaestionem propositam itaque respondere dehemus, disciplinas iuris naturae et Ethices, etiam ratione obiecti, diversas esse.

III. De utraque disciplina, ratione finis diversa.

Virtutem finem esse Ethices disciplinae, *legalitatem* disciplinae iuris naturae, diximus. Lex moralitatis, sua gravitate procedens, sua veluti maiestate fulgens, atque nullo aliunde sumto momento, sua ipsius tantummodo vi armata, hominum animos percellit, atque obedientiam imperat, iubet, requirit. Postulat lex non tantum ut actiones, sed voluntatem nostram ob solam legis venerationem ad legis praescriptum flectamus. Virtus itaque conspicitur in voluntatis nostrae convenientia cum lege; verum legalitas non est nisi externarum actionum convenientia cum lege iuris, sive illa sit orta convenientia ex metu poenae, sive ex cogitatione coactionis, quam alii contra nos, nisi iuste agamus, adhibent homines, sive ex laudis honorisque studio; quovis igitur fine moti, quando actiones externae constare possunt cum libertate cuiusque, ex lege universali, adest legalitas, id est, iuris disciplinae finis: ut ad virtutem, sive moralitatem perveniamus, quae est finis Ethices, bona postulatur voluntas, sive voluntas legi accommodata. Respectu ad finem igitur diversae sunt etiam iuris naturae et Ethices disciplinae.

Ex hactenus disputatis igitur concludamus necesse est, disciplinas iuris naturae et Ethices inter se quoad formam, qua ambae philosophicae, et quidem practicae sunt, diversas non esse; affines autem esse ratione *fontis*, unde utraque, licet vario modo, derivatur; *Obiectis* tamen quae spectat, et *fine* ad quem tendit, differre Ethices et iuris naturae doctrinam.

Das Naturrecht hat mit der Moral nichts anders gemein, als ihre allgemeine Quelle, die Vernunft, und zwar die praktische Vernunft. Im übrigen sind sie durchgängig von einander verschieden.

F E U E R B A C H.









